TOMI I. PARS V.

CANCELLARII PARISIENSIS

JOHANNIS GERSONIS

Theologi Christianissimi

ARDUUM OPUS

DE

MODIS UNIENDI AC REFORMANDI ECCLESIAM

IN CONCILIO UNIVERSALI,

AD PETRUM de ALLIACO, Cardinalem Cameracensem,

proxime ante Concilium Constantiense scriptum,

Et pro Concilii Constantiensis norma atque regula dein habitum.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

Ex antiquo MSCto HELMSTADIENSI

recensitum ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Juliæ Professore.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

JACOBUS WIMPHELINGIUS, Theologus,
In Præf. Tom. IV. Op. Gerſ. ed. Arg. 1502.

* * *

JOHANNIS GERSON
conſolatorii Chriſtianiſſimique Doctoris
lucubratiunculas
puras, ſolidas, veraces, devotas
& animi penetrativas eſſe,
nemo inficiabitur,
Qui obſervate & ſincere,
absque cœco & effeminato
alterius viæ aut diſciplinæ affectu
illas lectitaverit.
Inveniet enim,
pientisſimum Virum ea
quæ ad charitatem Dei & proximi,
ad Eccleſiaſticam reformationem,
& ad animarum ſalutem
attinent
non ſolum ſuavi & non abjiciendo ſtylo
ſed etiam ferventi affectu
ſalubriter collegiſſe.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Christiano Lectori

S. P. D.

HERMANNUS von der Hardt.

QUàm *corruptus Ecclesiæ* fuerit *status* proxime *ante Concilium Constantiense*, superiores viri clarissimi, *Vrie*, *Clemangis*, *Gerson*, oculati testes, abunde monuerunt. *Bonifacii IX. artes pecuniariæ* ansam quidem querelis & disidiis turbisque Ecclesiasticis dederant præcipuam. Verùm, vel sopitæ forsan, vel toleratæ, vel dissimulatæ, ni *Johannes XXIII.* incautus ac imprudens, Bonifacium arte superare contendisset, & dum ille ad eliciendum sangvinem flagellis usus, hic scorpiones substituendos judicasset. Sacra in hoc Johanne auri fames, Ecclesiæ sangvine vix restingvenda, totum orbem Christianum commoverat, ut compositis consiliis vitam atque incolumitatem Ecclesiæ tueri constituerent. Quod non nisi illo capite sublato futurum sperabatur.

Palatius, in *Monarchia* sua *Ecclesiastica*, novissime *Venetiis* edita, *Tom. III. f.* 447. non inscito in hunc Johannem lusit emblemate, dum *vitulum aureum* summi sacerdotis *Aaronis* stitit, haud longe à furno candente fumiganteque, quo vitulus iste aureus, Mosis maximi Ducis autoritate atque jussu consumendus erat, scandalique aboliti cineres labenti fluvio inspergendi, ut conspectui hominum dedecus prorsus subduceretur. Neque explicare intermisit *Palatius* hoc illius temporis spectaculum triste atque ferale, his additis verbis: *Johannem* 22 (23.) *Antipapam*, *armis magnum*,

gnum, in spiritualibus nullum, ut ait Sanctus Antoninus, in vitulo damus, quem coactus Aaron Hebræis erexit, sub titulo: Hi sunt Dii tui Israël. Exod. 32.

Ceterum, publicam hanc Ecclesiæ vel Judaicæ vel Christianæ calamitatem, inaurato vitulo idolove omnium oculos percellentem, avertere, non erat unius atque alterius viri privati, vel optimi atque religiosissimi, Israëlitæ aut Christiani, sed Ducis supremi, *Mosis, Imperatorisve Romanorum* Augustissimi.

Auxerat olim in deserto miseriam gentis sub auri fulgore, *MOSIS Ducis fortissimi absentia.* Ita sane simile Ecclesiæ Christianæ infortunium evenisse visum, cum A. 1410. dicto Johanne Papa electo evectoque, & aurum pro vitulo inaurando abunde collecto, *Imperium Romanum* Duce summo vel *Imperatore careret.* Aberat sane tantisper *SIGISMUNDUS*, mox Electorum votis ex Hungariæ montibus evocandus, summus populi Dux ac *IMPERATOR* constitutus.

Festivitas nihilominus ruffi vituli brevis erat, ex quo *MOSES* Dei jussu nutuque de monte descenderat, populum vitulantem contemplatus. Totius namque Judaicæ gentis capitibus congregatis, publice hoc facinus fœdumque vituli inaurati cultum exprobravit autoribus. Idque pro zelo suo & divini cultus studio mox in solennissima populi congregatione effecit, ut aureum hoc fulgidumq; totius gentis scandalum præcipitaretur, penitusque contritum aboleretur. Non dispar *IMPERATORIS SIGISMUNDI*, pro suo in Deum & verum ejus cultum amore, facinus, memorabile sane ac laudabile. Quamprimum enim Imperium obtinuit, ut aureum illud religionis monstrum, Johannem XXIII. auro convasando unice imminentem, cominus spectaret: Pro sua majestate supremoque jure, mox universæ Ecclesiæ antistites, exemplo Mosis, Constantiam congregavit. In quo universali Christiani orbis Concilio, vitulantes quosque, aut vituli inaurati cultu à Religione sincera abstractos, in ordinem primum redigeret, & in veræ pietatis studio constantes esse juberet: Dein extemplo auro fulgentem Johannem XXIII. e conspectu Christianorum eliminaret. Fecit hoc *IMPERATOR* gloriosissimus pari cum *MOSE* consilio, ardore, constantia, successu, in publico orbis Christiani cœtu Constantiæ congregato.

Quod autem *MOSES* deprehenderet, cum pompa suscitatum vitulum ponderosum non sine magno labore, nec sine ferro & igne, posse aboleri: Nullis pepercit laboribus, nec ferro nec igni, quibus comminuendus atq; comburendus esset. Nec *SIGISMUNDUS IMPERATOR* leve sibi datum sensit negotium, Johannem hunc aureis artibus coloribusq; præfulgidum, ex oculis animisq; Christianorum eximendi. Neq; enim vel in congregationem Christianorum eum pertrahere primùm potuit, ob autoritatis & auri molem, qua niteretur. Multis tandem studiis, plurimorum legatorum auxilio suaq; celsis-

celsissima manu Constantiam pertracti, ibique sede celsa movendi, eam mox pertinaciam animique duritiem animadvertit, quæ violenta requireret media. Præterquam enim quod è manibus *Sigismundi* & *Concilii* elapsus esset, ob aureæ artis & spectatæ autoritatis molem, reniti vehementer cœpit, nullam admittens *Sigismundi* ac *ceterorum Principum* in Concilio congregatorum vel mollissimam manum. Teneri noluit, quanto minus ex voto Concilii tractari, prensari, loco pristino excelso moveri, quid dicam, deleri? Sic ferro & igne opus erat, quibus uteretur *SIGISMUNDUS IMPERATOR* cum Collegio, ad retinendum pondere suo manibus se subducentem Johannem, ad tractandum dedolandumve illum, quin & conterendum, omnique vi ac specie privandum.

Quod igitur reluctans Johannes robur nactus esset à potenti & forti duce Friderico, cujus tutelæ se commississet, stricto ferro, quod Friderico non ostendere sed inferre oportuit, per *SIGISMUNDUM* coërcendus & in angustias redigendus fuit. Bello itaque gravissimo, à *Sigismundo* cum Friderico Johannis protectore gesto, occupatis Friderici ditionibus, dirutis arcibus, flamma consumptis palatiis, direptis opibus: In manus Sigismundi tandem rediit *vitulus Johanniticus*, carceribus inclusus, tanquam furno, Rhenique adeo fluctibus passim, cinerum vituli inaurati sparsorum numero, commissus.

Sed nec prætereundus hic *fidus Mosis*, herois fortissimi, & individuus in hoc admirabili negotio *comes*, *JOSUA*. Hic sane, antequam Dei nutu Moses ad populum properasset, inspecturus corruptam Ecclesiæ sub auri splendore faciem, Mosi mature nunciavit vitulantium Israëlitarum strepitum inconditumque sonum. Pari omnino ratione, priusquam *Sigismundus Imperator*, Ecclesiæ advocatus ac præses celsissimus, ad visitationem atque emendationem Ecclesiæ se componeret, corruptionis publicæ nuncium præ ceteris audivit *GERSONEM* Christianissimum.

Hic enim, vacante Imperio A. 1410. Sigismundo nondum electo Imperatore ast mox eligendo, publico scripto palam denunciavit, quam fœda ex deaurato vitulo Johanneo Ecclesiæ facies esset. Quod *Imperatoris Romani* esset advolare, succurrere, mederi, totius Ecclesiæ cœtum convocando, vitulum deturbando, atque abolendo. Hic utique *Sigismundi Josua*, totius hujus negotii, à Sigismundo cautissime tractandi atque postea animosissime tractati, comes & adjutor fidelissimus extitit. Donec Ecclesia ab isto liberaretur atque purgaretur deaurato vitulo, Religionis avitæ dedecore publico. Eo certe anno, quo *Sigismundus* Imperator declaratus, qui emendandæ ac perpurgandæ Ecclesiæ manum potentissimam adhiberet, hic *Gerson*, ejus temporis *Josua*, memorabili isthoc scripto *de Modis uniendi ac reformandi Ecclesiam in Concilio universali*, corruptissimam Ecclesiæ sub Johannis XXIII. aurei vituli umbra conditionem descripsit.

Sed & aperto ore, sepposito omni metu, fronte serena, *Johannis XXIII. ex simonia pecuniarias artes* detexit. Indeque emendationis vel *reformationis in Concilio Generali statim per Cæsarem suscipiendæ regulas* suggessit, quæ totum negotium dein moderarentur.

Profecto quicquid in hoc libro Gerson suppediravit in perarduo negotio consilii, à *SIGISMUNDO IMPERATORE* mox ad ungvem pœne servatum atque præstitum est. Quod sigillatim recensere, atque Gersonis monita cum Sigismundi in Concilio Constantiensi susceptis negotiis conferre, locus hic non admittit. Quisque qui hoc *Gersonianum opus*, proxime ante Constantiense Concilium editum legerit, atque cum constitutionibus atque fatis Concilii laudati composuerit, intelliget, *curatam* hic datam à Gersono *Concilii magni amussim.* Neque quisquam tantæ fuerit autoritatis Consiliarius in ullius Ducis curia, ut cuncta ejus monita tam curate observentur atque probentur, quantæ hic Cancellarius Parisiensis fuisse deprehenditur in universali atque incomparabili Concilio Constantiensi apud Imperatorem reliquosq; Principes ac magnates fidei. Sane Gersonis hoc opusculum non solum instar canonis rerumque agendarum mensuræ habitum, sed & maximarum controversiarum in Concilio componendarum fundamentum reapse extitit. Ut os quasi formaret Assessorum Concilii illustrissimorum.

Quapropter in hoc *Rerum Concilii Constantiensis Opere*, hoc Gersonianum monumentum, Concilii splendidissimi normam atq; regulam, omittere nefas judicavit *Serenissimus Princeps* RUDOLPHUS AUGUSTUS.

Antiquæ verò *historiæ* dum velificandum, dissimulare acerbiorem etiam istius ætatis stilum ob graviora capitum delicta, nostrum non fuit. Ex suo quæque lector æstimabit seculo.

Profecto superiora tempora minus *dissimulare* didicisse, nostra & molliora, & cautiora atque callidiora evasisse, ostendent scripta utriusque ævi inter se collata. Illi non duntaxat scapham scapham dicebant, nullis parcentes vel summæ dignitatis viris, sed & probrosis verbis atque imaginibus sine metu publice describebant, quos erant notaturi. Quod elegantioribus atque callidioribus nostris temporibus grande foret nefas. Ita in ARCHIVO BLANKOBURGENSI, excedentis illius olim dicendi scribendique libertatis exempla supersunt notabilia, quando Comitibus quibusdam superiori adhuc seculo subditorum aliqui probrosas exhibuerunt valvisque urbis aut arcis affixerunt imagines, longa oratione nefanda adscripta, nominibusque suis palam expressis.

Superiorum itaque temporum *os* apertum, & pro nostra modestia nimis *hians*, in his ac similibus spectare, non injucundum est. Neque fata dudum præterita nobis aliud quam *admirationem* relinquunt, quæ neminem nostrum offendant, longissime à nobis remota. Dein pretium nostræ ponunt oris castitati, seculique mollioris decori. Artes pares dissimulari hodie sollicitius quàm olim, ac novis pigmentis illini qui dixerit, viderit an capiat, ex colore fatorum publicorum calamum formari eruditorum.

Cete-

Ceterum quod impressum non vidimus unquam hoc Gersonianum opus, ex nobili & curate exarato MSCto ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS depromsimus. Ne quid in pertexenda historia memorabilis Concilii cognitu necessarium prætermitteremus. Præcipue, qui non nostro ore sed manu calamoque illorum uteremur, qui nobilis pars Concilii solennissimi, rebus maximis in Ecclesia componendis sacri, olim extitissent.

INDEX CAPITUM
OPERIS HUJUS GERSONIANI.

Caput I.
De publica Ecclesiæ miseria circa tempora Concilii Constantiensis.

Cap. II.
De unitate Ecclesiæ: Deque Ecclesiæ distinctione in Catholicam & Romanam.

Cap. III.
De universalis Ecclesiæ unione conservanda.

Cap. IV.
De imminente Concilio Generali, quod Constantiæ congregatum.

Cap. V.
De Pontificis Romani autoritate atque potestate.

Cap. VI.
De modis loco trium Pontificum malorum eligendi bonum in Concilio universali Constantiensi.

Cap. VII.
De membris Ecclesiæ universalis reduniendis.

Cap. VIII.
De jure universale Concilium convocandi.

Cap. IX.
De autoritate Concilii Universalis supra Papam.

Cap. X.
De Reformatione morum in Ecclesia per Concilium universale.

Cap. XI.
De magna difficultate illius Generalis Concilii convocandi per Cardinales.

Cap. XII.
De grandi Reformationis difficultate.

Cap. XIII.
Obstacula concilii Generalis per Papam Johannem XXIII. convocandi.

Cap. XIV.
De summa Romanorum Imperatoris autoritate Concilium universale cogendi, cunctaque optime componendi.

Cap. XV.
De Episcoporum jure, post Imperatorem, Concilium generale congregandi.

Cap. XX.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cap. XVI.
De Johanne XXIII. in Concilio Generali ſede movendo.
Cap. XVII.
De limitibus Reformationis in Concilio univerſali, quod erat Conſtantienſe.
Cap. XVIII.
Solvuntur dubia, à Johanne XXIII. Generali Concilio objecta.
Cap. XIX.
Concilium Generale novum, Conſtantienſe, aptius eſſe ad Reformationem quam Piſanum.
Cap. XX.
Confirmatur jus Imperatoris ac Principum in convocando Concilio univerſali & publica ſuſcipienda Eccleſiæ emendatione.
Cap. XXI.
Si Imperium Romanum vacet, cujus ſit jus convocandi concilium univerſale.
Cap. XXII.
Solvuntur dubia, quæ obſtarent, quo minus novus Imperator eligendus poſſet Concilium congregare.
Cap. XXIII.
Acris cenſura pecuniariarum Papæ conſtitutionum in genere.
Cap. XXIV.
Graves ſtricturæ in novas illo tempore Conſtitutiones pecuniarias Alexandri V. & Johannis XXIII.
Cap. XXV.
Corruptiſſimos Eccleſiaſticorum mores ex Eccleſia prorſus eſſe eliminandos.
Cap. XXVI.
Non eſſe eligendum novum Papam ex tribus remotis, nec ex Collegio Cardinalium, ante Concilium Conſtantienſe exiſtentium.
Cap. XXVII.
De Romani Imperii damnis ex corruptis Pontificibus.
Cap. XXVIII.
De titulo Papali, Servus Servorum Dei, magnaque dominandi libidine.
Cap. XXIX.
De ominoſo Papæ ſigillo, in quo duo capita, Pauli & Petri.
Cap. XXX.
Summa capita Reformationis, in Concilio Conſtantienſi ſuſcipiendæ.

CAN-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CANCELLARII PARISIENSIS

JOHANNIS GERSONIS

Sacræ Theologiæ Professoris

OPUS ARDUUM

DE

MODIS UNIENDI AC REFORMANDI ECCLESIAM IN CONCILIO UNIVERSALI,

Scriptum *proxime ante Concilium Constantiense*

Ad PETRUM de ALLIACO, Cardinalem Cameracensem.

Ex MSCto HELMSTADIENSI.

CAPUT I.

De publica Ecclesiæ miseria circa tempora Concilii Constantiensis.

DOlentes *quærebamus te* de omnibus *alienis*, *flagitiosis* & *perversis*, non in Christi fide, non in illa primitiva Apostolica Ecclesia inventis, imo nec apud illos sacros Apostolicos & eorum Cardinales & Coëpiscopos, ut credo, imaginatis, quæ nunc moliuntur vineam Domini exterminare, domum Dei depascere, & *quæ jam nostri hujus temporis Rectores Ecclesiastici amplectuntur* ut virtuosa, *scribunt* ut juridica, *præcipiunt* servanda, *prædicant*, *in detrimentum totius Ecclesiæ*, & *in utilitatem privatam*, veneranda. Igitur zelus domus Dei comedit nos, licet ideo opprobria exprobrantium ceciderint super nos.

Corruptio Ecclesiasticorum circa tempora Conc. Constant.

Vestra igitur *Paternitas*, quam ferventem ad domum Dei, ad sponsam Christi, ad *Ecclesiæ* Catholicæ *unionem*, amorem à retroactis temporibus habere conspexi sæpius, *à me*, *vestro Capellano*, & immerito fratre & amico, tacta dolore cordis intrinsecus, voce querulosa & dolenti quærebat: Ecce sedet sola civitas Ecclesiæ, quæ olim erat plena populo, unanimi consensu unita, sed peccatis exigentibus nostris temporibus periculose divisa: Jam non est, qui consoletur eam ex omnibus caris ejus: Jam *nullus* est, *qui* ad instar Christi & sanctorum *pro republica laboret*: Qui pro ovibus laboribus periculis & morti sedet: Qui fideles & simplices in fide corroboret, & confortet. Omnes *amici* ejus *spreverunt* eam, scilicet *Ecclesiam*, cum eis paupertatem prædicat, cum eis avaritiam interdicit, cum eis castitatem annunciat, & *facti* sunt ei *inimici*. Jam proh dolor Tyrannorum pedibus subjicitur, ad tributa redigitur, propriis commodis innititur, & sub *titulo* coloris *pacis* & unionis *respublica Ecclesiastica prosternitur*, & in plures seditiones scinditur.

Petri de Alliaco & Gersonis sollicitudo pro emendanda Ecclesia.

Calamitas Ecclesiæ pristina.

Sed jam dolenter quæritur: Num fidele *remedium* pro hac Christi unica sponsa, unica matre nostra inveniatur? Hoc exquisivi à juventute mea, hoc exposco, hoc desidero, &, ut putas, non videbo.

Emendationis remedium difficile.

Ergo dolenter quæro, quid *vestra paternitati* cordialius ac ardentius respondeam inposterum: Salva semper protestatione, quod si quid minus dixero justum, secundum Christi fidem, & regulam Apostolorum, revocabo, ex corde compatiendo, & pro posse meæ imperitiæ, ac munitus armis justitiæ domui Dei, columbæ Dei, sponsæ Dei, electæ Dei, nostro pio & laudando desiderio consulendo.

Gersonis studium Ecclesiæ optime consulendi.

CAPUT II.

De Unitate Ecclesiæ, deq; Ecclesiæ distinctione in Catholicam & Romanam.

CONstet in principio, quod loquitur Cyprianus: (*Decreti Part. 2. caus. 24. quæst. 1. cap. 18.*) *Ecclesia una* est, quæ latius in multitudinem incremento fœcunditatis extenditur, *una* ejus *origo* est, unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.

Sed quæritur: *Quæ* sit illa *Ecclesia, quæ unam originem novit*, unam domum scit, unius cubiculi sanctitatem custodit? Revera illa, quæ temporalia ad instar Christi despicit, quæ originem fidei, & *fundamenta primitiva Ecclesiæ custodit*, quæ sub uno Pontifice & Christi vicario dilatatur & vivit, quæ *sanctitatem cum moribus probis* concordat & *unit*, quæ cum vitiis litigat, & ipsa destruit.

Unam Ecclesiam esse primitivæ conformem, sanctam. Moribus probis præditam.

Instat tamen servor ille vester cœlicus, & quærit: Quomodo & qualiter hæc *unio* haberi possit?

Credite mihi, quod respublica Ecclesiæ *triplici unione* possit & debeat de necessitate gaudere. Prima est *imperiosa*, secunda est *jocundosa*, tertia est *virtuosa*. Prima conservatur in *unius capitis principantis existentia*; Secunda roboratur in *multorum membrorum benevolentia*; Tertia perpetuatur in *religionis observantia*.

Unio Ecclesiæ triplex.

Sed jam, *frater* carissime, cum sint verba tua mysterio plena, digneris declarare ipsa.

Volo libenter facere, quod jubes, *Pater*. Sed pro omnium dicendorum corroboratione munio me hac suppositione: *Ecclesia Christi est inter omnes respublicas aut societates, recte ordinatas* à Christo, *superior, nobilior, atque diligibilior*. Patet: Quia aliæ sunt cœtus multitudinis temporalis, ista autem est *congregatio populi spiritualis*: Illæ ad tempus patent, ista autem usque ad finem nunquam deficiet: Illæ salvant corpora peritura, ista autem animas in perpetuum duraturas.

Ecclesia respublica optima.

Prosequar allectus tuis verbis dulcibus istius *Ecclesiæ unionem*. Sed dic quæso, *de qua Ecclesia* intelligis, cum ille Sanctus Athanasius in Symbolo dixerit: Et *unam, sanctam, Catholicam* & *Apostolicam Ecclesiam*. Si enim idem sunt *Catholica & Apostolica Ecclesia*, superfluum fuit replicare, quod per unum potuit explicare. Si vero idem non sunt, dic quæso, in quo differunt?

Symboli Athanasiani verba de Ecclesia, explicata. Catholica & Apostolica Ecclesia quod differant. Catholica Ecclesia quæ sit?

Revera, ut bene noscis, *Catholica, universalis Ecclesia, ex variis membris, unum corpus constituentibus, sive ex Græcis, Latinis, & barbaris, in Christum credentibus, ex hominibus & mulieribus, ex rusticis & nobilibus, ex pauperibus & divitibus est conjuncta* & nominata. *Cujus corporis, universalis Ecclesiæ, caput Christus solus est*. Cæteri vero, ut *Papa, Cardinales*, & *Prælati, Clerici, Reges* & *Principes* ac *plebeji*, sunt *membra* inæqualiter disposita.

Christus solus caput Ecclesiæ universalis. Papa, Principes, plebeji &c. membra Ecclesiæ universalis.

Nec istius Ecclesiæ Papa potest dici nec debet *caput*, sed solum vicarius Christi, ejus vicem gerens in terris, dum tamen clavis non erret.

Papam nō esse caput Ecclesiæ universalis.

Et in hac Ecclesia & in ejus fide *omnis homo* potest salvari, etiamsi in toto mundo aliquis Papa non posset reperiri, & non inveniretur.

In Ecclesia universali salus sine Papa.

Et causa est, quia *in hac solum Ecclesia est Christi fides* fundata, & *huic soli Ecclesiæ* est *potestas ligandi & solvendi tradita*. Quia dato, quod nullus Papa esset, adhuc aliquis fidelium, remedium ligandi & solvendi, veniret. In hac sunt septem *sacramenta*: In hac est tota salus nostra.

Fides & sacramēta in Ecclesia universali, sine Papa.

Hac Ecclesia de lege currenti *nunquam errare potuit*, nunquam deficere, nunquam schisma passa est, nunquam hæresi maculata est, nunquam falli aut fallere potuit, nunquam peccavit, (ut de omnibus patet *XXIV. q. 1. per totum.*)

Ecclesia universalis ab errore immunis.

In ista etiam *omnes fideles*, in quantum fideles sunt, *unum* sunt in Christo, in cu-

Fideles unum esse in Ecclesia universali.

Eccl. Apostolicā esse particularem, Papalem & Romanā dictam. Papā caput Romanæ Ecclesiæ esse. Romanā Ecclesiam posse errare.

in cujus fide non est distantia Judæi, Græci, Domini & Servi.

Alia verò vocatur Ecclesia *Apostolica, particularis & privata*, in Catholica Ecclesia inclusa, ex Papa, Cardinalibus, Episcopis, Prælatis & viris Ecclesiasticis compaginata. Et solet dici *Ecclesia Romana, cujus caput Papa* creditur, cæteri vero Ecclesiastici, tanquam membra inferiora & superiora in ea inclduntur.

Et *hæc errare potest*, & potuit falli & fallere, schisma & hæresin habere, etiam potest deficere.

Et hæc *longe minoris autoritatis videtur esse universali Ecclesia*, ut dicetur inferius. Et est quasi *instrumentalis* & operativa clavium universalis Ecclesiæ, & *executiva* potestatis ligandi & solvendi ejusdem. Nec *de recta conscientia* majorem habet vel habere potest *autoritatem*, & executionem potestatis, quam sibi ab universali Ecclesia conceditur.

Universalem Ecclesiam majoris autoritatis quam Romanā esse.

Differunt ergo hæ duæ Ecclesiæ sicut genus & species, cum omnis Apostolica sit catholica, & non vicissim. Et ideo solebat loqui Apostolus in suis epistolis: *Salutat vos Ecclesia, quæ est Babylone*, & sic de similibus.

Catholica & Romana Ecclesiæ discrimen.

Caput III.

De universalis Ecclesiæ conservanda unione.

SEd inquit *vestra* solers *paternitas*: *Pro cujus* igitur *Ecclesiæ unione* & redintegratione est *laborandum*, animas ponendum?

Pro universalis Ecclesiæ salute præcipue laborandum.

Revera *pro* illius *universalis Ecclesiæ salvatione*, & fidelium errantium, & membrorum deviantium, causa illius secundæ Ecclesiæ Apostolicæ, redintegratione, omnibus postpositis est laborandum. Quod extra *illam* non est salus. (*XXIIII. q. 1. can. 22.*)

Cujus sit universalis Ecclesiæ unionem curare.

Sed quæritis: Quis primo *membra deviantia incipiet reducere*, & unionem procurare?

Revera, ubi *Papa* non esset suspectus, & ubi non agitur de unione capitis, ad eum primo pertineret. Aliàs ad majorem partem, vel *totam congregationem Episcoporum & Prælatorum & Principum secularium* pertinere credo. Et quicquid illi egerint in hac causa, quasi fides est tenendum.

Jus Principum in Ecclesiæ universalis cura.

Sed quod motiva multum innituntur veritati, jam quæritis: Quid habent *Principes seculares* facere *in Ecclesiæ reductione*, & membrorum unione?

Certe, si veritatem & pacem diligitis, si bonum commune respicitis, si corpus naturale perpenditis, ubi manus in auxilium venit totius corporis, & quodlibet membrum currit ad salvationem ejus: Ad Ecclesiæ congregationem, pacificationem, redintegrationem, quam pro communi utilitate debemus recipere, non solum *Principes seculares*, sed *rustici* & laboratores, & quicunque, quantumcunq; etiam *minimi fideles*, debent occurrere, & morti, si oporteat, se exponere *pro totius gregis salvatione*, exemplo antiquorum, bonum commune zelantium, & morti pro eodem se exponentium. Ut patet legenti in *Valerii Maximi lib. 1. 2. 5. & 6to. & Tullium de officiis, quasi per totum*: Et Christi exemplo. Qui, licet sciret locum, ubi eum traditurus erat Judas, voluntarie ivit, morti se dedit, *ne tota gens periret.*

Subditorū, omnium, fidelium jus in Ecclesiæ cura.

Et si ad ista tenentur *seculares*, quanto magis *Prælati & Ecclesiastici Rectores.*

Ecclesiasticorum jus.

Instat tamen prudentia vestra: Quid oportet *pro universalis Ecclesiæ unione laborare*, si ipsa Ecclesia est & fuit semper indivisa, unica, & nunquam passa schisma?

Patet mi, si dignemini intueri, nec dico, *Ecclesiam universalem posse reuniri*, cum ipsa schismate non possit dividi, quia etiam in unico supposito potest salvari: Sed dico, quod *pro ejus unione sit laborandum*, & pro ejusdem *membrorum concordia* & pacificatione. Quia cum & ipsa sit in *charitate* fundata, & bonum commune vocata, & charitas non

Membrorum Ecclesiæ universalis concordia conservanda ac paranda.

non quærit, quæ sua sunt: Ideo in ipsa Ecclesia nonsolum nobis nati sumus fideles, nec nostra justitia & pax nos solum debent illustrare, sed & fratres nostros & alios Christianos. Ideo dicit Propheta: *Propter fratres meos, & proximos meos loquebar pacem de te.*

Item. *Laborandum est pro universalis Ecclesiæ unione*, sic solemus dicere; Quia *executio potestatis* & auctoritatis ejusdem, quæ est in Ecclesia Apostolica, impeditur valde propter *contendentes de papatu*, & propter *schismata*. Imo aliquando redditur dubia. Et quia *universalis Ecclesia* operatur ad modum theoricæ Magdalenæ, *Apostolica* vero ad modum practicæ Marthæ. Et *finis* intentus *communis* in arte, *est practica*. Imo ne finis *clavium universalis Ecclesiæ* impediatur, qui est autoritas ligandi & solvendi: A majori fit denominatio. Dicimus propterea, laborandum esse pro unione universalis Ecclesiæ.

Ecclesiæ Romanæ neglectus in universalis Ecclesiæ concordia servanda.

Caput IV.

De imminente Concilio Generali Constantiensi.

SEd jam, ubi multis præmissis, finis suppositionis advenit, accenso ardore nimio utilitatis publicæ Ecclesiæ, *Vestra magnifica paternitas* certificari affectat, addens: Ecce dies veniunt *generalis Concilii, de proximo celebrandi.* Cujus celebratio ad hoc tendit, ut fiat *capitis uniui in Ecclesia* Apostolica seu *Romana* declaratio, ut fiat *membrorum una consociatio*, ut fiat *morum proborum antiquorum reformatio.*

Scopo Concilii Generalis Constantiensis

Jam capitis unio videtur perire: Quia *tres se audent Papam vocare.* Jam membrorum est divisio: Quia sub quolibet *illorum trium* est membrorum obedientia & subjectio. Jam *bonorum morum* est *dissipatio*, imo *oblivio*: Quia *Simonia, avaritia, beneficiorum venditio*, tyrannia & exactio regnat, quasi de *consuetudine* approbata in populo *Ecclesiastico.*

Tres Papa Romani ante Conc. Const. Ecclesia divisa. Mores corrupti.

Dolenter ergo quæro: *Utrum* inveniri possit *modus* in hoc *sacro futuro generali concilio*, quo regnaret Rex & Papa in Ecclesia, qui solum esset *unus*, ne inveniretur alius, qui de se diceret: *Ego sum Apollo, ego Cepha, ego Christi:* Qui sapiens esset, qui faciat judicium & justitiam in terra, quibus diebus salvetur Ecclesia, & habitet confidenter.

An supersit modus in Concilio Const. unũ Papam creandi.

Item de secundo quæro instanter: *Quis modus* reperiatur, *quo cœtus Christianorum congregetur*, quo oves dispersæ simul cubent, simul pascant, & sub uno Christi vicario vivant, & à guerris & tyrannidibus abstineant?

De modo convocandi Concil. Generale.

Sed jam tertio, quod *principalius & magis necessarium est in universali Ecclesia*, quo deficiente omnia deficiunt, quo existente Petri navicula non turbatur, non fluctuat, non perit: Quæro instanter, quibus *sacris moribus* esset *Ecclesia decoranda*, quibus *regulis*, quibus *constitutionibus* sacris, ac *legibus* esset fortificanda ac præmunienda, ne consimilia schismata præterita insurgerent in Dei Ecclesia? Ut sic Ecclesia tota pulchra, & virtutibus ac sacris legibus & regulis ornata esset, terribilis ut castrorum acies ordinata.

Præcipuũ Concilii Constantiensis momentum Reformatio Ecclesiæ.

Hæc igitur *tria*, quantum poteritis, Domino adjuvante, dignemini declarare, & vestra in hac parte consilia dare.

Libet, *Pater*, sub compendioso sermone postulatis satisfacere.

Caput V.

De Pontificis Romani auctoritate atque potestate.

SEd jam primo de *unione capitis* volo præsupponere, & *potestatem, usurpatam diu ab eodem capite, limitare.*

Quis unquam dubitare potuit, quin leges, quin decreta, quin quæque in qualibet politia juste ordinata *propter conservationem boni communis* principaliter sint instituta & facta? Cujus *reipublicæ salvatio redundat in bonum cujusvis privata*

Boni legislatoris servare bonum publicum.

Leges propter rempublicam factæ.

Respublica major legibus.

vatæ personæ secundario. Intentio igitur cujuslibet legislatoris est, *conservatio* & salvatio *boni communis*. Quia ergo propter quod unumquodque tale est, illud magis: Si *leges & jura propter rempublicam sunt facta*, magis est ipsa respublica, quam sint aliqua jura.

Reipublicæ salus potior quam personæ privatæ.

Ex quo concludo, quod, ubi de pari concurrunt, *curatio reipublicæ* & *conservatio alicujus* viventis *personæ privatæ*, cesset lex, cesset jus, quo tollitur salvatio boni communis, nec habeat virtutem pro tunc alicujus juris, legis aut consuetudinis. In tantum, ut Dominum nostrum mori expediret, ne tota gens periret, ut prædixi.

Leges Papales valere, quamdiu publica res per illas non patitur detrimentum.

Omnes ergo *constitutiones Apostolicæ*, sive leges, *factæ in favorem Papæ, Cardinalium* sive prælatorum, intelliguntur & intelligi debent, ubi respublica Ecclesiastica directe vel indirecte, publice vel occulte, in parte vel in toto, detrimento aut divisioni non videtur subesse.

Et sic de *legibus imperialibus* & regalibus possumus intelligere.

Sed fortius quæritis; Numquid *quoad dominia* multum sint differentia *secularis* dominatus, & *Ecclesiasticus* principatus?

Utique. Quia ille temporalis, iste spiritualis: Ille per successionem, iste à Deo per electionem: Ille ad defensionem, iste propter ordinem.

Papam aut Prælatum posse sede moveri, si publica res requirat.

Si ergo propter salvationem unius regni, unius provinciæ, deponitur unus Rex, unus Princeps secularis, qui per successionem perpetuam descendit: Multo magis unus *Papa*, unus *Prælatus est deponendus*, qui per electionem Cardinalium fuit institutus. Cujus pater & avus forsan ventres implere non sufficiebant fabis. Durum enim est dicere, quod *filius unius Veneti piscatoris* papatum debeat tenere *cum detrimento totius reipublicæ Ecclesiasticæ, cum injuria tantorum Regum, Principum & Prælatorum*, & quod sit causa tantarum discordiarum & scandalorum, & quod absq; animarum grandi periculo non procedant, & quod propter unam electionem hæreditarie debeat sanctuarium Dei possidere. Imo dixit Propheta: *Deleas illos, ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* Sicut enim stipula citius desinit, quam palea, sic credo in corpore mystico universalis Ecclesiæ membrum, quod amplius nocet, occasionaliter sive effectualiter, est citius dirimendum & amputandum.

Papam citius removendum quam prælatum alium.

Ergo *Papa malus* citius deponitur, quod est membrum validius, quam quicunque alius Prælatus, cum ipse sit in totam sollicitudinem, cæteri verò Prælati sint in partem. Et sic de *prælatis* cæteris, majores & minores habentibus administrationes. Non enim, si pes dolet, cætera membra dolent, secus si caput doleat. Quod si per imaginationem amputari posset, homine manente, amputari citius deberet, ne totus homo perdatur.

Papæ delictum gravius, quã Prælati.

Sic, *si Papa peccat, totus cœtus Ecclesiasticus convertitur ad peccandum.* Quia *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Sed si aliquis *Prælatorum* peccaverit, non propter hoc omnes alii peccant. Tamen Episcopi & cæteri Ecclesiastici, prælati ac clerici, ab omni specie mala debent abstinere.

Sed forte me voluisti capere in sermone, per varia scripta, allegando, quod tam sancta tam alta sit *potestas Papæ*, ut à nullo mortalium judicari valeat, nec deponi, nisi propter hæresin incorrigibilem: Ad hæc allegas dist. *XL. can. 6.*

Origo canonum antiquorum de potestate Papæ.

Sed perpende, mi frater, quanta *fraude*, quanta *astutia*, temporibus antiquis fuerint facta & scripta quamplurima *ad tenendam hanc dignitatem Papatus*: Quam Christus nunquam concessit æternaliter, *nisi ad tempus illis, qui diligunt Deum in toto corde & veritate.* Quod dico pro tanto, quod si Petrus, cui principaliter datus est papatus, ante Christi passionem (*Matth. XVI.*) mansisset in negatione, qua Christum negavit, & mortaliter peccavit, nec pœnituisset, certe post Christi resurrectionem nec Spiritum Sanctum cum aliis accepisset, nec princeps Apostolorum extitisset, nec, pasce oves meas, ipsi à Domino dictum fuisset.

Revertor ergo ad propositum, & dico, quod tantam *fraudem* in *administratione*

Multos Papatum male administrasse.

Gerson impugnat sextum Decretalium & Clementinas.

Imperatoris & Principum jura servanda inviolata.

tione hujus Papatus fecerint aliqui antiqui, qui cum multis viris peritis, imò in malitiis imbutis, Deum non habentes præ oculis, *multa jura sibi usurparunt*, & pro se fecerunt, & meliorem partem sibi attribuerunt, & *de republica non curarunt.*

Et quis fecit illos libros, *sextum*, & *Clementinas? Arrogantiam, superbiam*, juris ordinariorum locorum usurpationem, *Imperatorum Romanorum injuriosam detractionem*, & eorum aliorumque potestatis periculosissimam suppressionem, & alia multa in spiritualis & secularis reipublicæ læsionem malitiose & pertinaci ambitione fabricata, in omnibus & per omnia concludentes. Et male: Quia non minus *terreno Principi in his, quæ ad jura pertinent imperii*, quam spirituali, in his, quæ ad Deum spectant, *debetur obedientia.* Vult enim Deus, hominem homini subesse duplici ratione, carnali Domino, quia caro est, & spirituali, quia spiritus est. Igitur omnes *inobedientes Romano Imperatori*, & ejusdem imperio, quia ejus jura usurpant, in statu damnationis existunt. Nihilominus & *Papa* voluerunt observari illos sicut sancta Dei Evangelia.

Ex decretis & Decretalib9 multa enata mala.

Papam hominem, non sanctum esse.

Et sic de *multis* contentis in *decretis & decretalibus*, post *dotationem Constantini.* Quorum occasione & multa sucreverunt, & succrescunt *schismata in utraque republica* memorata.

Ecce ponatur *Papa.* Est *homo* de homine, limus de limo, *peccator* & peccabilis, filius ante duos dies pauperis rustici: Erigitur in Papam: *Numquid* iste absque aliqua pœnitentia peccatorum, absque confessione, absque cordis contritione *sit Angelus impeccabilis*, sit *sanctus?* Quis eum sanctum fecit? Non Spiritus S. Quia *dignitas non solet trahere Spiritum S.* sed solum Dei gratia & charitas: Non *autoritas*, quæ *communicatur bonis & malis.*

Papã non esse angelum.

Potest errare.

Pontificũ actiones.

Quia ergo Angelus Papa esse non potest, ergo Papa ut Papa est homo, & ut homo sic est Papa, & ut Papa potest peccare, & ut homo potest errare.

Fuerunt enim *multi eorum*, ut legitur in chronicis, *non penitus spirituales*, sed eorum actus civiles, contentiosi, & carnales ac temporales, sequentes actus hominum, qui possunt mutuare, deponere, emere, vendere, percutere, occidere, mœchari, furari, rapere, prodere, decipere, falsum testimonium perhibere, detrahere, diffamare, in hæresin cadere, cæteraque committere scelera, crimina & contentiones, quemadmodum etiam à non sacerdotibus perpetrantur.

Prælatorum ac sacerdotũ actiones.

Et videmus ad oculum, quod modernorum *Prælatorum Ecclesiasticorum* atq; sacerdotum, saltem plurimorum, *actiones non sint spirituales*, quin imo temporales & carnales. De quibus loquens Apostolus 1.*Cor.III.* inquit: *Cum regnet inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis.*

Papã non esse supra Evangelium.

Item *Papa non est supra Dei Evangelium.* Quod sic ejus autoritas esset major autoritate Christi, nec tunc ejus potestas derivaretur à Christo. Subjicitur ergo *ut alter Christianus* in omnibus præcepto & mandato Christi. Imo tanto magis ad ipsum servandum obligatur, quanto magis est in dignitate & perfectiori statu constitutus.

Papã delinquentem posse corripi.

Cum ergo Christi præceptum dicat: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum, si te non audierit, adhibe duos testes, sin autem, dic Ecclesiæ.* Cum ergo Papa sit meus frater & proximus in natura & in Christi fide, eisdem sacramentis regeneratus, eadem passione redemtus, *corripiendus est* juxta processum præcepti Christi.

Non ergo illud *decretum* est tenendum, *quod Papa à nemine sit judicandus.* Quia actiones voluntariæ, transeuntes in incommodum & injuriam alterius, refrenari debent. Et talium mensura est lex humana, & ad illum finem leges ipsæ per ora Principum divinitus prolatæ fuerunt.

Christum Petrum, Apostolos Principũ.

Nec est Papa major *Christo*, vel *Petro*, cæterisque *Apostolis*, quos legimus sæpius *subfuisse potentiæ coactivæ, jurisdictioni & Principum* seculi, *realiter & personaliter*, aliosque homines, quibus ipsi legem veritatis prædicaverunt, aut per scripturam mandaverunt, idem facere & docuisse aut præcepisse, sub pœna damnationis æternæ.

Christum jurisdictione subjectum.

Numquid *Christus* coram præside seu vicario

civile Imperiũ non affectasse.

vicario Imperatoris, Pilato videlicet, constitutus ait: *Regnum meum non est de hoc mundo*, id est, regnare non veni regimine seu dominio temporali, quomodo regnat mundus & Reges. Et subdit illius probationem, dicens: *Si regnum meum esset de hoc mundo, ministri mei utiq; decertarent, ut non traderer Judæis.* Quasi argueret sic: Si venissem regnare in hunc mundum mundano regimine seu coactione, haberem ministros hujus regiminis decertores, scilicet transgressorum coactores, quemadmodum cæteri Reges habent. Sed tales ministros non habeo, ut tu manifeste videre potes. Quia omne regnum in hoc seculo, cujusquam coactivum, est humanum & corruptibile: Sed regnum Dei non est humanum neque corruptibile. Quare omnes, qui placent Deo, per multas tribulationes transierunt. Et hujus seculi principantibus à Deo permittitur, ut plurimum justos & bonorum operatores affligant, & sic eos ad regni sui præmium perducant.

Et legitur de *Christo*, quod cum cognovisset, quod venturi essent, ut ipsum raperent, & Regem facerent, fugerit in montem ipse solus. Ex quo elicitur, Christum non solum hujus seculi principatum, seu coactivum judicium in hoc seculo recusasse, sed propter hoc sic agendi *Apostolis* ac *discipulis* suis ac successoribus dedisse exemplum, verbo & exemplo.

Christi exemplum Ecclesiasticis datum.

Papam etiam civilis magistratus censuram effugere non posse.

Quis igitur Papa, si est maleficus & criminosus, saltem notoriè, eximatur, quin propterea legislatoris coactivi judicio, exemplo sui Domini, qui tamen non peccavit, nec peccare aut errare potuit, sit subjiciendus, non video, nec ratio dictitat.

Præterea redeundo ad propositum, Vel *recepit papatum* propter *utilitatem privatam*, vel propter *utilitatem communem.*

Cedere Papatui debet Papa, boni publici causa.

Si propter *communem*, & utilitas communis requirit ejus *cessionem*: Non dico solum cessionem, sed & *mortem*, pro salvatione boni communis: Debet recipere, Christi exemplo, qui solvit, quæ non rapuit, & vulneratus est propter iniquitates nostras.

Si vero propter *bonum privatum*: Quis ei talem dedit autoritatem? Non parentes ejus: Quia forte fuerunt mercatores, & non Papa. Non virtutes ejus, nec justicia aut sanctitas: Quia tales virtutes non quærunt quæ sua sunt. Quia *papatus non est sanctitas, nec facit hominem sanctum*, licet volentem disponat ad sanctitatem, sicut faciunt cæteræ dignitates Ecclesiasticæ. *Nec* etiam illa *sedes papalis* facit hominem sanctum. Quia *locus non sanctificat* hominem, sed homo locum. Nec *ornamenta papalia* eum sanctum faciunt: Imò tanto magis eum vituperant, quanto ejus vita mala apud homines est magis nota. Illa enim ornamenta exteriora interiorum indumentorum sunt signa, scilicet justitiæ & sanctitatis ac veritatis. Et si dicatur: Illa sedes aut sanctum facit, aut sanctum invenit: Intelligitur ita: *Deberet sanctum invenire.*

Sedes Papalis non facit sanctum.

Ridiculum enim est dicere: Quod *unus homo mortalis dicat se potestatem habere in cœlo & in terra ligandi & solvendi à peccatis*: Et, quod ille sit filius perditionis, *simoniacus, avarus, mendax, exactor, fornicator, superbus, pomposus*, & pejor quam diabolus. Et *si Petrus talis fuisset, nunquam ei claves Christus contulisset.* Utique non. Igitur non potest nec debet humanum judicium præsumere, quod sit *homo peccator, existens in tali* & tanta *sede.*

Pontifices mali.

Papa sit bonus.

Quod si per mala opera declaraverit, quid de ipso fiet aut erit, videamus communiter. Certum enim est, *nullam rempublicam sine unitate Principis posse subsistere*, qui malos debeat coërcere, & bonos promovere. Juxta dictum Philosophi: *Expediens regno fuit habere unum Principem, ne malefici turbarent civium pacem.* Intendere ergo debet quilibet Princeps, ut corda civium sint tranquilla, & ut hostes vivant pacifice. Et cum *Papa* sit *Princeps summus in Ecclesia Apostolica*: Ad hoc ergo debet intendere, ad hoc debet anhelare, ut *Ecclesia vivat pacifice*: Ut, sicut una est Christi sponsa, ita sit unus ejus vicarius, unus sit episcopatus, una sit Ecclesia, una sit obedientia, una fides, unum baptisma. (caus. XXIIII, q. 1. Can. 18.)

Papa Ecclesiæ pacem procuret.

CAP.

Caput VI.

De modis loco trium malorum Pontificum unum bonum eligendi, in universali Concilio Constantiensi.

PAter mi, iterum multa & magna tangis, quæ vires meas excellunt. Respondebo tamen cum bona tua supportatione, sicuti Dominus mihi ministrabit, qui per os Prophetæ locutus est: *Aperi os tuum, & ego implebo illud.* Et quia omnes præcedentes quæstiones, proximeque præcedentes ad hoc tendunt, ut, si datum sit divinitus, longe desiderata & vera *unio in Ecclesia* subsequatur, seu ut fiat unius capitis in eadem dispositio: Ea tripliciter induci potest. Maxime, ubi *duo* aut *tres* sunt *contendentes de papatu*, sicut nunc sunt de facto.

Ad unionem parandam Papa vel cedat Papatu vel cedere compellatur.

Scilicet aut *per viam cessionis* & renunciationis, aut *per viam ejectionis* & privationis, aut *per viam coercitionis*, violentiæ & invasionis.

Propter *primum* igitur *modum* tales pono conclusiones, scilicet: Quacunque via possibili datâ, qua fiat unio illa, in promtu debet recipi à Christi vero vicario. Secunda est illa: Quandocunque de *unione Ecclesiæ* agitur, si *alia via clementior* non invenitur, Papa sub pœna peccati mortalis ad illam tenetur.

Papatus propter bonum publicum.

Hæ duæ conclusiones patent per superius dicta: Quia *papatus non est datus propter bonum privatum*, sed *solum propter bonum commune.* Ad quod manu tenendum & redintegrandum, non dico solum esse *cedendum*, sed si oporteat, *moriendum*, ut tetigi supra. Quid enim est, quod Principem melius prædicet quam quietus populus, concors senatus, & tota res publica honestate vestita?

Unionis in papatu revocanda regulæ, circa Concilii Const. tempora.

Cum igitur quæritur: *In futuro generali concilio* quæ via tenebitur, ut *pax Ecclesiæ* detur, & unum ovile & unus pastor inveniatur? Revera ante omnia procedendum est *via justitiæ*, quæ dux reperietur. Sequitur *via recognitionis* & reconciliationis, & *via cessionis.*

Concilii Pisani decreta justa.

Cum enim notorium sit toti mundo, *generale concilium Pisanum sanctum & justum* fuisse: Constat, quod abjectio & *privatio duorum* tunc & nunc de papatu contendentium sancta fuerit, & sic electiones papatus, de *Alexandro V.* & post *Johanne XXIII.* subsecutæ, justæ & honestæ sint.

Aut pellicendi aut pellendi tres Papæ.

Teneatur igitur modus, prout melius fieri poterit, ut *illi duo*, tanquam hæretici, privati, errores suos recognoscant, & cum sibi adhærentibus Ecclesiæ reconcilientur & reincorporentur. Et si illi isto modo non poterunt trahi ad unitatem Ecclesiæ: Saltem tunc modis omnibus procuretur *via cessionis*, etiam fienda, si oporteat, à vero Christi vicario. De duobus enim malis minus malum eligitur, tanquam minus nocivum, grandi & communi urgente necessitate, vel utilitate deposcente, ut in proposito patet. Minus igitur malum est, *cedere papatui*, quam Ecclesiam tenere Apostolicam in schismate semper.

In Constantiensi Concilio hoc curate observatum.

Trium illorũ Pontif. decreta dijudicabit Concil. Quod factũ mox Constantiæ.

Sed quid fiet *de gestis & factis per illos tres* usque ad illud tempus? Revera hoc determinabit *futurum concilium.* Videretur tamen mihi, ubi res, sive officium aut beneficium, non esset duorum, sed unius solum, quod tolerandum esset propter majus scandalum evitandum. Et ubicunque & quomodocunque posset dari pax & unio Ecclesiæ, fiendum esset *per concilium*, & semper per maxima procedendum. Et post *usque ad quinque vel sex annos* fieret *aliud generale concilium*, ubi de omnibus *plenior reformatio* favente Domino fieri posset.

Singulo quinquennio repetendum Concilium ad reformationem perficiendam.

In casu verò, quo nullus istorum vellet in dicto concilio cedere, vel unus vellet sed alter non, quid fiet?

Reve-

Revera in casu isto *nec volenti est favendum*, ut Papa maneat, nisi in hoc Ecclesia universalis concordaret, & ab aliis duobus tota recederet: *Nec nolenti est parendum.* Sed per concilium & Ecclesiam universalem ab eis tribus est recedendum, sicut à destruentibus unitatem Ecclesiæ. Sicut enim prædixi, nullum jus credo habere aliquem mortalem, viventem in papatu, qui datus est à Christo universali Ecclesiæ in salutem multorum, ubi Ecclesia propter jura eorum præsumta divisiones patitur & schismata. Imo dixi pro remedio Ecclesiæ, ne fiant schismata, quod quandocunque sunt duo vel tres de papatu contendentes, vel duo aut tres pro papa se gerentes, cujus aut quorum veritas non est universali Ecclesiæ manifesta aut approbata, nulli eorum sit obediendum aliqualiter, sed à quolibet sit recedendum totaliter.

Tres de Papatu contendentes deserendos esse, si cedere nolint.

Patet: Quia, si etiam unicus esset universalis & indubitatus Papa, tenetur per quamcunque viam pacem dare Ecclesiæ, etiam per viam cessionis, ut supra tactum est. Ergo ubi sunt tres se pro Papa gerentes, *tenentur renunciare prætensis juribus suis.* Quod sicut una Ecclesia Christi sponsa est nobis monstrata & cognita, ita debet esse unus Episcopus ejus nobis revelatus & cognitus. Quomodo igitur nobis erit certus & cognitus Christi vicarius, ubi duo aut tres certant de vicariatu Christi sanctissimo, *tanquam si litigarent de patrimonio proprio*, contra evangelium, ubi dicitur, quod facta contentione inter Apostolos, quis eorum major esset, dixerit Christus: *Reges gentium dominantur eorum, & possunt litigare pro dominiis, vos autem non sic, quod regnum vestrum non est de hoc mundo, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor.*

Non enim illos de terrenis debere contendere.

Secundo constat, quod Christus non majorem potestatem dederit Petro, quâ ipsemet exercuit in terris. Ergo solam illam habet Papa in administratione. *Quemodo* ergo *pro illo, quod non est suum, audebit litigare?*

Exemplo Christi.

Nec credendum est, quod si sanctus Paulus dixisset Petro, tu non es Papa seu Romanus Episcopus, sed Antiochenus antistes, sed ego sum Episcopus Romanus, quod cum eo, vel alio forte dicente similia, super papatu contendere voluisset. Imo dixisset: Proficiat tibi, procede, & regna in Dei nomine, ut affectas.

Exemplo Pauli.

Ergo fideles attendite, quod *obediendo talibus litigantibus*, & Ecclesiam dividentibus favendo, videmur gravissime & mortaliter *peccare*, dividentibus inquam corpus Christi in malitiis suis & peccatis. Quia credo jam à multis temporibus cessasse ab istis suis *tyrannicis dominiis*, nisi eos vestris obedientiis fovissetis.

Papis contendentibus obedire, esse peccare.

Sed si isti duo voluntarie aut tres *nolunt cedere*, restat ad *remedia fortiora* procedere. Scilicet, eos abjiciendo & à comunitate Ecclesiæ segregando, ac, ut prædixi, obedientias eis subtrahendo.

Remedia fortiora pacem parandi.

Quod si nec isto modo poterit Ecclesia proficere, tunc *dolis, fraudibus, armis, violentia, potentia, promissionibus, donis & pecuniis*, tandem *carceribus, mortibus*, convenit sanctissimam unionem Ecclesiæ & conjunctionem quomodolibet procurare. Juxta dictum *Tullii de officiis: Hoc spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium conjunctionem: Quam qui dirimunt, mortibus, exilio, vinculis & damnis coërceant secundum leges.* Et hæc de primo.

Concilii Constantiensis praxis.

Caput VII.

De membris Ecclesiæ universalis reduniendis.

Sed parum prodesset, *caput unum habere*, nisi & *membra* corpori viderentur subesse. Faciliter enim Ecclesia unum inveniet, qui dominium papatus assumet: Sed difficulter membra corporis Christi, tanto tempore divisa, ad obedientiam capitis reducet.

Postulationi igitur tuæ rationabili condescendens, prænoto divisionem *Tullii 1. libro de republica:* Quod *papatus sit cœtus multitudinis, juris consensu & utili-*

Papatus in quacunq; republica. Membra Ecclesiæ cohæreāt.

utilitatis communione sociatus. Et si talis est *papatus*, *in quacunque republica temporali*, multo magis *in republica* debet esse *spirituali*, scilicet *in* ipsa *Ecclesia* universali. Etenim in uno spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus, singuli autem, alter alterius membra, ait Paulus.

Tres Papæ contendentes respuendi.

Hæc *membra* tamen in hoc sacro mystico corpore diversimode, superius & inferius, sunt posita. Quæ omnia sunt ad unitatem Ecclesiæ reducenda dupliciter: Vel *obediendo* vel *subtrahendo*. *Obediendo* inquam uni, vero, Christi, universali & indubitato vicario; *Subtrahendo* etiam *pari consensu* & *unanimi voluntate* generaliter obedientiam à dubus vel tribus de papatu contendentibus, & totam Ecclesiam scandalizantibus. Ad quam *subtractionem* tenentur uniformiter omnes Christiani sub pœna peccati mortalis, ut prædixi.

Ecclesiā universalem posse carere Papa. Fides & salus dantur sine Papa.

Nam dato, quod *Ecclesia* universalis, cujus Christus caput est, *nullum Papam haberet*, adhuc fidelis decedens in charitate, salvus fieret. Quia duobus vel pluribus de papatu contendentibus, quorum veritas singularis non est nota universali Ecclesiæ, istum vel illum pro Papa tenere, nec est articulus fidei, nec dependens ex eo, nec ad id credendum obligatur aliquis fidelis Christianus. Quod patet, quia ipse talis non est cum *una* sancta Ecclesia catholica, sed potius cum *divisa* Ecclesia Apostolica.

Apostoli in symbolo non dixerunt: Credo sanctū Papam.

Et ideo Apostoli symbolum componentes non dixerunt: *Credo sanctum Papam*, vel Christi vicarium. Quia *fides universalis Christi non est in Papa*. Nam singularis persona est, & deficere potest. Sed dixerunt: *Credo unam sanctam Ecclesiam catholicam*. Et ut definirent, quid sit Ecclesia, propter multos, qui dicunt, & dixerunt, quod mali, quantumcunq; etiam sint in Ecclesia Apostolica, non tamen sint in Ecclesia catholica, quæ est sanctorum communio. Quia certum est, quod existens in mortali peccato nec sit in Ecclesia nec de Ecclesia, quæ est fundata in charitate.

In Ecclesia Romā. vel Apostolica posse esse malos. In Eccl. universali nō nisi bonos dari.

Lites Paparū pro privato commodo. Fidē & salutem in Eccl. universali haberi etiam extra Eccl. Ro.

Quomodo ergo erunt *Papæ* in Ecclesia, qui *litigant propter privata commoda* pro papatu, & sunt in mortali peccato? Talibus ergo litigantibus & corpus Christi dividentibus expedit obedientiam denegare. *Salvatur* enim *fidelis Christianus in unitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, licet non teneat unitatem Ecclesiæ Apostolicæ*, super qua & de qua litigant de papatu contendentes.

Caput VIII.

De jure Universale Concilium convocandi.

Concil. refert Eccl. universalem.

Et quia hanc *Ecclesiam universalem repræsentat generale concilium*, ideo *de unione* ejusdem *concilii* dicam, quæ sentio.

Papā cessurum nō posse Concilium convocare nec præsidere nec definire.

Alias etiam dixi, quod, ubi agitur de *redintegratione universalis Ecclesiæ*, & causa Papæ agitur, scilicet vel ut *renunciet* papatui, vel quod *deponi debeat propter suum malum vivere*, & propter scandalum Ecclesiæ, *nullatenus ad eum*, etiamsi esset unicus, universalis & indubitatus, *pertineat generale concilium convocare*. Nec ad eum pertinet, ibidem tanquam *judicem præsidere*, aut aliqua concernentia statum Ecclesiæ *definire*.

Sed Episcopos & Principes

Sed hoc principaliter pertinet ad *Episcopos, Cardinales, Patriarchas, Principes seculares, communitates* & *reliquos fideles*. Quia non *de æquitate* aliquis *infamis* potest & debet esse judex, potissime *in causa propria*, ubi propter utilitatem reipublicæ tenditur ad cessionem, & privationem utilitatis & honorum personæ privatæ.

Conc. convocare debere. Ratio. Quod Papa in causa propria non queat esse judex.

Juxta igitur antiquorum exempla convocabunt se *Episcopi, Principes seculares, communitates, & Domini ac Viri Ecclesiastici*, in aliquo loco idoneo & securo, & necessariis ad vitam abundantem, ad quem istos de papatu contendentes convocabunt.

Exemplo antiquorum.

Johannem XXIII. non debere convocare Concilium.

Quod si verus *Papa* secundum jus, scilicet dictus *Dominus Johannes*, convocet Concilium, & voluerit in eo præsesse, quis erit ausus ejus voluntati resistere? Quis audebit Ecclesiam promovere? Cum

Ratio. Quod Ecclesiæ commoda non sit promoturus.

re? Cum jam *Romani Pontifices per reservationes suas speciales & generales Ecclesiam universalem spoliaverint*, monasteria destruxerint, mille modos dandi beneficia & acquirendi pecunias adinvenerint. Propter quæ *lucra* vix aliquem invenies, qui unquam vellet papatui cedere, & Ecclesiæ universali pacem dare.

Prælati cũ Principibo debent Papas contendentes ad Concil. citare.

Sed jam de *futuro concilio* ponatur, quod Papa dissimulet hanc convocationem facere: Dico, quod sub pœna peccati mortalis *Prælati* mundi *cum Principibus* eorum, quam cito poterunt, *debent* ipsum *convocare*, & assignare, & dictum Papam & contendentes secum super papatu citare, qui si parere noluerint, eos abjicere & privare.

Conciliũ à Papa in loco non tuto institutum repudiandum.

Sed quid si Papa Concilium convocet, sed *in loco non tuto?* Dico, quod Christi fideles ad ipsum *non teneantur venire*, nec Papæ in isto casu obedire. Quod talis locus non tutus esset in detrimentum totius Ecclesiæ, quæ major est Papâ, & cui Ecclesiæ magis est obediendum.

Conciliũ sub dominio Papæ, ubi dicendas negata, non esse admittendum.

Sed quid si locus est tutus, *habet* tamen *Papa ibi plenum dominium*, ubi quilibet loqui pro universali Ecclesia pertimescet, *timore*, qui potest cadere in constantem? Dico, quia Christi fideles non sunt servi sub lege, sed liberi sub gratia constituti, ideo *ad talem locum venire non tenentur*, nec ibidem causas universalis Ecclesiæ definire, propter suspicionem, qua præsumitur, veritatem non habere locum in eodem loco, nec posse Ecclesiam universalem cum decremento potestatis Papæ promoveri.

Concilii convocatio distinguitur ratione finis.

Ut ergo tollatur omnis difficultas facti, ideo dixi & dico, quod, ubi agitur *de Papæ depositione, de ipsius reprehensione, de suæ potestatis limitatione*, nullatenus ad eum pertineat generale concilium convocare, sed ad Prælatos, Cardinales & Episcopos & Dominos temporales. De quorum numero eligentur aliqui, qui prodesse possint & debeant in concilio generali. Ubi vero agitur *de alicujus regni aut provinciæ reformatione*, de hæresium extirpatione, de fidei defensione, tunc ad Papam cum suis Cardinalibus pertinet concilium convocare. (Et sic intelligitur Dist. 17. & similia.)

Cap. IX.

De Autoritate Concilii universalis supra Papam.

Conciliũ supra Papam.

Sed numquid tale *concilium*, ubi Papa non præsidet, est *supra Papam?* Certe sic. Superius in autoritate, superius in dignitate, superius in officio.

Conciliũ universale posse de Papa judicare.

Tali enim *concilio* ipse *Papa in omnibus tenetur obedire*. Tale concilium potest potestatem Papæ limitare. Quia tali *concilio*, cum *repræsentet Ecclesiam universalem*, claves ligandi & solvendi sunt concessæ. Tale *concilium jura Papalia potest tollere*. A tali concilio nullus potest appellare. Tale concilium potest Papam eligere, privare & deponere:

Posse leges novas condere, & antiquas abolere.

Tale concilium potest *jura nova* condere, & facta ac antiqua destruere. Talis etiam *concilii constitutiones*, statuta & regulæ sunt immutabiles & indispensabiles, per quamcunque personam inferiorem Concilio.

Nec potest nec potuit aliquando Papa dispensare contra canones sanctos in conciliis generalibus, nisi concilium specialiter hoc illi commiserit ex magna causa. Nec facta Concilii potest Papa immutare, imo nec interpretari, aut contra ea dispensare, cum sint sicut Evangelia Christi, quæ nullam recipiunt dispensationem, & super quæ Papa nullam habet jurisdictionem.

Sic ergo *membrorum* erit *unitas* spiritus in vinculo pacis, sic alter alterius onera portabimus, sic spiritu vivemus, spiritu ambulabimus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Caput X.

De Reformatione morum in Ecclesia per Concilium universale.

Corrupti mores in Ecclesiasticis olim

Ultra autem quæritur: Quid proficeret Ecclesiæ universali, si *unum caput*, seu *unum Papam* haberet, cui capiti omnes fideles utriusq; sexus obedirent, ita ut jam esset unum ovile, unus pastor: Et tamen ille pastor cum suo ovili *avaritiæ* intenderet, *commessationi* vacaret, *simoniam* diligeret, *beneficia venderet*, *furta* reservatione faceret, *omni die novas leges ac regulas pro habenda pecunia in camera conderet?* Ut non videatur Ecclesia fidelium, sed etiam malignantium: Prætereundo antiquos terminos, leges & canones, quos statuerunt patres nostri sancti & antiqui, & martyres, qui tot Ecclesias ædificarunt, tot bona pro Ecclesia acquisiverunt, tot animas ad fidem Christi reduxerunt: Et notanter contra imperiales leges & constitutiones, ut supra tetigi, per ora Principum divinitus promulgatas, talia reprobantes. Oportet ergo, quod *unione virtuosa* gaudeat Ecclesia.

Pater mi, quàm cordialiter considero zelum legis Dei vos habere, & affectuose velle videre universalem *Ecclesiam*, scilicet *in omni veritate*, in omni *justitia*, *fide*, *pietate*, & *in timore* & *amore Domini!* Et non sine causa ista videre in Ecclesia affectatis: Cum sine *virtutibus* respublica aliqua unquam non potuerit subsistere.

Emendatio Ecclesiasticorũ desiderata.

Avaritia radix omnium malorum in Ecclesia.

Avaritia enim, secundum Salustium, *fidem*, *probitatem*, *cæteraque bonas artes* in illa Romana communitate *subvertit*. Et primo *pecunia*, deinde *imperii cupido* crevit. Eaque *materies omnium malorum* fuere. Pro his Deos negligere, & omnia venalia habere edocuit, multos mortales falsos fieri subegit &c. Quid ergo prodest, habere rempublicam stantibus mœnibus & *ruentibus moribus*? dicebat Scipio Africanus.

Simoniacos ex Ecclesia ejiciendos.

Ergo quid prodest, in Ecclesia habere *Papam Simoniacum & avarum*, & quo causante venerabilia Dei templa pecuniis expugnentur, & esse sine virtutibus, & *non reformare Ecclesiam in bonis moribus?* Revera ad nihilum valet.

Et ideo dixi, quod *Papa* est *deponendus*, *propter malum vivere*, propter *publicum scandalum*, propter *hæresin*, propter *quodcunque mortale peccatum*, quo scandalizatur universalis Ecclesia, sicut est *fornicatio publica*, sicut est *simonia*, sive sit quia prohibita, sive è congruo, sive per quamcunque aliam causam notoriam, Ecclesiæ scandalosam. Quia ejus vita bona vel mala exemplar est omnibus aliis Prælatis & clericis.

Papam malum sede movendum.

Restat ergo, ut *primo reformetur Ecclesia in Papa*, *secundario in Cardinalibus*, *tertio in Prælatis aliis Ecclesiasticis.*

Ecclesiam à capite ad calcem esse reformandam.

Concilium ergo *generale*, repræsentans universalem Ecclesiam, si affectat unionem integram videre, si affectat schismata reprimere, si vult schismatibus finem statuere, si vult Ecclesiam exaltare; primo ante omnia ad instar sanctorum Patrum, qui nos præcesserunt, *limitet* ac terminet *potestatem coactivam & usurpatam Papalem.*

In Concilio universali potestas Papa limitanda.

Et ut sic fieret, fuit omnino *inclinatus* dictus Dominus *Alexander V. ante ejus Promptipapatum*, dum ageretur, ut dictum concilium celebraretur in Pisis. Qui etiam hoc dicebat, & etiam super limitatione subsequenda multis argumentis Theologicis, Philosophicis, Juridicis insudabat. Qui *creatus in Papam* in lucem educere non curabat.

Tudo Alexandri V. Pisis creati, per promissa anteĩ Papatũ. Non prælatus.

Quam quidem *coactivam potestatem* multi summi Pontifices per successiones temporum & *contra Deum & justitiam* sibi applicarunt, *privando inferiores Episcopos potestatibus* & autoritatibus, *invasisse* eis à Deo & Ecclesia concessis; *Qui in primitiva Ecclesia æqualis potestatis cum Papa erant*, quando non fuerunt papales beneficiorum reservationes, non casuum episcopalium inhibitiones, non indulgentiarum venditiones, non Cardinalium commendæ, & distinctiones beneficiorum, prioratuum & monasteriorum. Tandem per tempora succesli-

Jura Episcopi primitiva Ecclesia æqualis potestatis cum Papa in Ecclesia primitiva æqualis potestatis.

Episcoporum autoritas per Papas fracta.

cessive crescente *clericorum avaritia* & Papæ *simonia*, cupiditate & ambitione, potestas & *autoritas Episcoporum & Prælatorum inferiorum*, quasi videtur exhausta & totaliter diruta. Ita aut jam in Ecclesia non videantur esse nisi *simulacra depicta*, & quasi frustra.

Episcopi potestate exuti.

Jam enim Papa Romanus reservavit omnia beneficia Ecclesiastica: Jam advocavit omnes causas ad curiam suam. Jam voluit pœnitentiariam haberi ibidem, jam legitimationes clericorum, jam ordinationes sacras quorumcunque sine differentia vult fieri in ejus curia. Et illi qui in terra propria non possunt ordinari, in eadem curia ordinantur de facili.

Ad curiā Romanā omnia jura Episcoporum tracta.

Monasteria unde exhausta.

Jam *monasteria* ordinū quorumcunque, in quibus monachi vivebant in religione & multitudine, dantur in commendas dictis Cardinalibus. Qui vix habent in quolibet decimam partem monachorum, ibidem olim existentium, aut paucos vel nullos omnino.

Cardinalium familiæ in curia Romana.

Unde videbis aliquos *nepotes* aut *consanguineos* laicos *Cardinalium*, in ipsa Romana curia otiose vacare, & nisi luxurils & deliciis inhærere, atque tot vestes pompatas & preciosas habere, quæ alicui magno Principi merito sufficere possent.

Pauperes clerici in Curia Ro.

Et *pauperes religiosi*, de quorum fructibus talis pompa fit, in ipsa curia grandi semper rerum penuriâ laborant, nec aluntur pauperes de patrimonio Jesu Christi, quod tam inutiliter per alios dissipatur.

Concilii esse reformare Ecclesiam.

Ideo *sacrum universale Concilium* reducat & *reformet Ecclesiam universalem*, in jure antiquo. Et abusivam papalem *in Decreto* & *Decretalibus*, *Sexto* & *Clementinis*, nec non *Extravagantibus* Papalibus *prætensam* limitet *potestatem*.

Restringere potestatem Papalem.

Christus enim nullam aliam potestatem Petro tribuit, quam ligandi & solvendi, ligandi per pœnitentias, & solvendi culpas. Non enim illi contulit, ut beneficia tribueret, ut regna, castra & civitates haberet, ut imperatores & reges privaret. Quod si taliter potestatem Christus Petro contulisset, ubique ipse Petrus aut Paulus, quod nefas est dicere, valde peccassent, aut

Potestas Petro data spiritualis: Non civilis.

errassent in eo, quod Neronem Imperatorem, quem sciverunt esse pessimum, & Christianorum immanissimum persecutorem, imperio non privarint.

Saul unctus à Samuele major Samuele.

Enimvero Saul à Domino in Regem eligitur, & à Samuele inungitur. Per hoc autem regnum Saulis a Propheta non dependet. Quia si à Propheta vel Sacerdote regnum dependeret, lex regis ab ipso Propheta non à Domino prodiisset. Unde ab ipso Domino dicitur ad Prophetam: *Contestare eis, & dic eis jus Regis, qui regnaturus est super eos.* Ex quo infertur, quod *Imperialis potestas non pendeat a Papa*, licet ut dignior & major antistes Papa Imperatorem inungat, prout decet.

Imperialē potestatē non pendere à Papa.

Et quis unquam legit, vel in veritate audivit, quod antiquis temporibus *Romanorum Reges* vel *Imperatores* consveverint ante Papam juramentum præstare? Potissime, antequam primus Otto Magni Augusti semper alter, juramentum reperitur in Decretis præstitisse, quod indultum à quoquam Papæ fuerit, ut reservationes cathedralium & aliarum Ecclesiarum ac Monasteriorum faceret? Ut propter pecunias, homines, Episcopos & prælatos excommunicaret, atque ab eorum dignitatibus destitueret, seu privaret, ac omni die festivo in valvis curiæ? Ut primos fructus in Camera soleret aggregare, & excomunicatos emaciaret ac eos scandalizaret?

Imperatores olim non jurasse Papis.

Imperatores olim Papis non indulsisse quæ sumunt jura.

Omnia hæc & similia terminet & limitet universalis Ecclesia in Generali Concilio, & *reformet communi jure & antiquo.* Et non priventur Episcopi & Prælati autoritatibus & privilegiis, sibi à Deo & Conciliis generalibus concessis.

In Concilio universali status Papæ reducendus ad formā antiquā.

Reformetur etiam Ecclesia quoad *Cardinales*, qui tot commendas habent sine causa, destruentes tot Ecclesias & monasteria.

Reformandos Cardinales in Concilio.

Quibus deberet inhiberi, ne unquam monasteriorum aut parochialium Ecclesiarum curam haberent.

Reditus Ecclesiæ quomodo

Numquid melius esset, ut reditus terrarum Ecclesiæ dividerentur æqualiter inter Papam & collegium Cardi-

dispertiendi, sine detrimento Ecclesiæ.

nalium, & cessarent commendæ & *collationes infinitorum Ecclesiasticorum titulorum*, quæ continue per Papam fiunt dictis Cardinalibus, quæ sunt ignominia & confusio totius Ecclesiæ.

Reformandos Prælatos in Concilio:

Reformetur etiam *Ecclesia in Prælatis*, in *monachis* & *presbyteris*.

Monachos, Presbyteros.

In *Prælatis*, ut electi ad Ecclesias vitæ honestate, *literarum sufficientia*, & perfecta ætate excellentes, per ordinarios & Archi-Episcopos confirmentur: In *monachis*, ut vivant in observantia regulari: In *presbyteris*, ut non præficiantur Ecclesiis, nisi *virtutibus clari*, & *literarum sufficientia* fuerint imbuti, docti & instructi. Et ut omnia *secundum ordinem* & *honeste* fiant in eis, prout *antiqui*, cum magna editi maturitate *canones sacri* dictant.

Libertates Monachorum abusivæ tollendæ.

Rescindantur etiam *abusivæ libertates*, & *exemptiones*, concessæ illis quatuor ordinibus fratrum mendicantium, quibus nimium abutuntur. Quia cessante causa cessat effectus.

Moniales monachorum immolatas.

Et liberentur ab *ipsis* omnino omnia *monasteria monialium*. Quia ipsi *fratres*, seu multi ex eis, in plerisque provinciis valde *deturpant* ipsas *moniales*, *eis subjectas*. Unde scandalizantur ipsi ordines, & parentes atque propinqui dictarum monialium. Et alia multa ex hoc peccata & turpia subsequuntnr.

Moniales quibus commendandæ.

Subjiciantur dictæ *moniales* regiminibus *diœcesanis* locorum. Qui etiam eas poterunt in ipsarum juribus melius conservare.

Monachorum numerus restringendus.

Nimis etiam *multiplicantur hi fratres*. Et quid opus est, ut in aliqua domo eorum fratrum, scilicet Coloniæ, vel in alia egregia civitate, continue resideant LXX eorum, aut plures. Inter quos forsan *non sunt quinque vel sex sufficientes ad proponendum verbum Dei populo*. Et tot pro una tota provincia sufficere possent.

Pauci eorum ad docendũ apti.

Sic igitur *istis tribus modis* fiet unum ovile & unus pastor, sic erit pax perpetua in Ecclesia. Sic dicebat ille Philosophus antiquus: *Ego regnum vobis trado firmum &c.* Sic erit nobiscum Christus usque ad consummationem seculi, ut suis promisit electis.

Pro Ecclesia salute gnaviter decertandum.

Præterea sicut Tulliana vox ait: *Caritates omnium patria una complexa est, pro qua quis bonus non dubitat etiam mortem oppetere, si ei sit profuturus?*

CAPUT XI.

De magna difficultate Concilii illius Generalis convocandi per Cardinales.

Cardinales obstituros Concilio generali cõvocando.

QUo uno præsupposito, mi Pater, quid tam profunde, quæ Dei & sursum sunt, quæritis, in facto Ecclesiæ unionis? Conclusive videmini inducere, *hoc futurum Concilium fieri non posse*, primo *de facto*, secundo *de via juris*.

Nam primo, præsupposito, quod ad Cardinales cum prælatis cæteris pertineat concilium convocare: Sequitur pro eo, quod cum *Cardinales* sint de facto potentes in Dei Ecclesia, & divites, primum post Papam locum habentes, auctoritates & potestates, quas antea non habuerunt, nec legimus eis datas, usurpantes, etiam *de facto* dicent & scribent: *Ad quid convocare concilium volumus?* Nonne *ad Papam unicum faciendum?* Certe *Papam* habemus, verum, benevolum, nobis propitium, & in beneficiis & commendis Ecclesiarum & monasteriorum nobis dandis satis largifluum, amicum nobis & consocium, & in petendis pro nobis & amicis nostris atque aliis satis promtum. Ipse enim, *tanquam expertus talia in priori statu, novit figmenta nostra*, & *scit nostris desideriis complacere*.

Quod sub Johanne XXIII. Cardinales ex voto viverent.

Periculũ, quod ex Concilio Generali metuerint Cardinales sua tranquillitati impendere.

Si ergo convocemus concilium, timemus *hujus nostri boni Papæ depositionem*, & nostræ potestatis restrictionem, & per consequens alterius Papæ electionem: Qui forte nobis non tam bonum præbebit favorem: Seu diu versaretur nobiscum, antequam ita bene nos cognosceret, nobisque applauderet sicut iste. Non ergo volumus dimittere certum pro incerto, & nostra commoda præcipi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cipitare: Quia prudens rerum exitus metitur.

Dissensus facilis inter eos, qui Concilium convocaturi.

Item *viâ juris*, sicut videmini arguere. Cum ergo vos dicitis, hoc Concilium convocandum *ad Cardinales cum prælatis* cæteris pertinere, ponatur, quod *in convocatione* videantur *discordare*: Aut ergo *ad Cardinales* principaliter, aut *ad Prælatos* convocatio pertinebit.

Johannis XXIII. asseclas repugnaturos, ob

Item si hujusmodi convocatio fiat per unam de tribus obedientiis, & non per aliam, ponatur, à fortiori, quod fiat per *obedientiam nostram*, quæ majorem habet adhæsionem: Quæritur *ad qualem finem* fiet hujusmodi *convocatio?* Non ad Papam unicum & indubitatum *finem placiendum*. Quia jam habemus unicum Papam, secundum determinationem concilii Pisani. Non ad illos duos deponendum, scilicet Angelum & Petrum: Quod jam ut hæretici manifesti sunt in concilio Pisano depositi. Non ad conscientias servandum fidelium: Quia, quamdiu illi duo habebunt adhæsiones, tamdiu erunt conscientiarum perplexitates. Non ad adhæsiones & obedientias illorum duorum reducendum: Quia hoc est nobis dubium satis notorium.

ne non obtinendum in Concil.

Multa dubia Concilio convocando objecta.

Caput XII.

De grandi Reformationis difficultate.

CUm ergo *finis* intentus hujus unionis sit satis *dubius*, sequitur, quod *media* sint *dubia*, & incerta, ergo dimittenda.

Nullam videri spē reformationis Ecclesiæ, ad exemplū primitivæ Ecclesiæ superesse. Corruptionis Ecclesiasticæ incrementa.

Maxime cum *non speretur de reformatione Ecclesiæ, in moribus & sacris regulis, juxta primitivæ Ecclesiæ instituta: Crescente* nunc, temporibus istis, ut cernimus, potissime *in Prælatis, Papa & Cardinalibus*, tanta *vanitate, ambitione* & *avaritia*. Ergo videtur, quod *convocatio* futuri concilii *non* sit *necessaria*.

Item talis *convocatio* erit inutilis & *infructuosa*. Quia ei non obediretur per illos de aliis obedientiis, qui dicunt, nos esse schismaticos & dividentes corpus Christi, quod est Ecclesia. Non ergo per hujusmodi convocationem sedabitur schisma in Ecclesia Apostolica.

Reformationis momenta in Concilio Const.

Nisi velis dicere, quod saltem quoad nostram obedientiam fiet *reformatio in moribus*, in *religione*, in *officiis curiæ*, in *beneficiis* & *officiis Ecclesiæ*, in gratuita majorum Prælatorum *promotione*, & inferiorum dignitatum & *beneficiorum collatione*, in *simoniæ exstirpatione*, in devota *officii divini celebratione*, in verbi Dei *prædicatione*, in *pauperum* audientia & *exauditione*, nec non *eleemosynarum* pia *largitione*, & in *consistoriorum publicorum justitia* & *æquitate*, in *curia excedentium correctione*, & inutilium atque *rudium exclusione*, ac bonorum & *literatorum surrogatione*, in *virorum literatorum & virtuosorum generali honoratione & promotione*, in *bonarum regularum Cancellariæ Apostolicæ institutione*, & *exorbitantium à jure seu æquitate abrogatione*, in omnium *causarum* Romanæ curiæ, & maxime *pauperum* favorabili *expeditione*, & multorum aliorum notabilium *defectuum* eorundem *Curiæ & curialium reformatione*, *utilium* regularum ac *constitutionum* papalium *resumtione*, & *vetustarum ceremoniarum* dictæ curiæ *renovatione*.

Consignatam quoq; reformationem & juramentis firmatā, nihilominus irritam futuram. Quod eventus in Const. Concilio docuit.

Sed timeo, dato etiam, quod ista *reformatio* fiat in scriptis, etiam certis *juramentis* & firmamentis ac pactis *adjectis*, quod post *per Papam & Cardinales*, ac cæteros ipsius curiæ officiales & Prælatos *non observarentur*, dicente *Francisco Petrarcha* in libro sine nomine: *Crescentibus flagitiis hominum, crevit veri odium, & regnum blanditiis atque mendacio datum est*. Et quia *difficile est, consueta relinquere*.

Caput XIII.

Obstacula Concilii generalis per Papam Johannem XXIII. convocandi.

Item

Johannē XXIII. non probaturum Conciliū Constant.

ITem dato, quod ad solum Papam nunc pertineat convocare generale concilium: Poteritne ipse Papa dicere: Ad quid est necessaria ista convocatio? Non ad hoc, ut fidei universalis fiat redintegratio, quæ semper una fuit, sicut dixistis. Non ad hoc, ut negantium articulos fidei fiat exstirpatio: Quia omnes nunc de tribus obedientiis dicunt, se firmiter tenere ac credere catholicæ fidei articulos, & omni die, corde ac animo dicere & credere symbolum fidei, scilicet: *Credo in Deum* &c. Etiam non ad hoc, ut de meo papatu fiat cessio: Quod ad hoc non teneor nec obligor, nec juravi nec promisi cedere, nec intendi cedere, cum sim verus ac unicus Christi vicarius & Ecclesiæ sponsus. Nec ad hoc, ut meæ potestatis fiat restrictio & limitatio: Quia tunc, cum concilium sic videretur contra mea jura facere, nolo illud meæ destructionis causam esse, maxime in juribus antiquis & consvetudinibus, quæ semper mei prædecessores visi sunt habere. Item non habeo superiorem in terra, qui mihi possit dicere, *cur hoc facis?* aut me de excessu aliquo condemnare. Et ita *nolo concilium convocare ad meum damnum*, aut meæ potestatis vel honoris decrementum.

Nec talis convocatio videtur necessaria esse. *Concilium Pisanum* aut fuit sanctum justum & verum concilium secundum Patrum sanctiones, aut non. Si non: Ergo superfluum: Ergo quicquid in eo est factum, videtur juribus carere: Et per consequens nec *Alexander* fuit Papa, nec illi duo contendentes sunt privati, nec ideo erat ab eorum obedientia recedendum. Sed si fuit *verum concilium*, sanctum & justum, ergo omnia in eo actitata fuerunt & sunt justa & sancta: Et per consequens cum illi duo de papatu contendentes ut hæretici fuerint condemnati, abjecti & privati, videtur, quod amplius de ipsorum jure non sit disputandum, nec de eis mentio facienda, sed solum eorum privatio ulteriori executioni demandanda.

Conc. Pisani decreta contra Papas dissidentes.

Si ergo hæc executio potest habere effectum in futuro concilio, summe necessaria est *concilii* ejusdem *convocatio.*

Hæc Pisani Concilii executio est facta in Concilio Const.

Sed qualiter habebit effectum, tot visis *impedimentis* diversarum adhæsionum, diversarum voluntatum, variarum credulitatum? Quomodo compellentur, quomodo reducentur tot potentes Reges & Principes seculi, atque Ecclesiastici Prælati, adhuc eisdem *Angelo* & *Petro* hæreticis & schismaticis obedientes?

Impedimenta Concilio Const. objecta.

Timetur ergo, quod hæc *executio* privationis illorum duorum contendentium de papatu *difficulter* aut *nunquam* poterit isto modo, scilicet *per concilium*, pervenire ad effectum. Ergo *convocatio concilii* erit inutilis, infructuosa, onerosa, & in nullo necessaria, si fieret *per Papam* & *ejus Cardinales & Prælatos* obedientes eis duntaxat.

CAPUT XIV.

De summa Romanorum Imperatoris *autoritate Concilium universale convocandi, cunctaque optime componendi.*

SEd quia res de facili redit ad suam naturam, dici potest, quousque non erit aliquis justus, strenuus & catholicus IMPERATOR, vel REX ROMANORUM, qui *per potentiam coactivam*, una cum favorabili assistentia & *concordi voluntate Regum & Principum*, ac etiam *Ecclesiasticorum Prælatorum*, nec non *communis populi Christiani*, remedium, quoad executionem realem, contra eosdem *Angelum* & *Petrum*, nec non eis adhærentes faciendam, efficaciter apponat: (Ut ibi quæstionem præhabitam vestra prudentia subtiliter movit:) Verisimiliter schismata ipsa, nedum perdurabunt, sed & timendum est, quod vires assumant.

Sine auxilio l. opo Romanorum Imperatoris nulla Ecclesiæ sperata tranquillitas.

Igitur

Vacabat Imperiũ A. 1410.

Religiosus Imperator expectatus.

Imperatores semper olim dissidia Ecclesiæ composuisse.

Concilia generalia convocasse.

Johannes XXIII. per Imperatorem, ope Concilii, sede movendo.

Quod Constantiæ factũ.

Johannes XII. per Imperatorem Ottonem ope Concilii remotus.

Otto Imperator duos Papas contendentes cedere jussit.

Conciliũ alterum convocavit.

Papã captivum duxit in Saxoniã,

Igitur summo opere *providendum est imperio de tali Principe, qui in ea parte causam Dei & fidei realiter prosequatur.*

Veteres quippe tradunt historiæ, quod *omnia schismata*, olim in Romana curia orta, *per Imperatores & Reges Romanos*, & eis volentibus atque executionem paratam exhibentibus, fuisse *decisa:* Multa etiam *generalia concilia*, super illis & aliis arduis negotiis universalis Ecclesiæ in diversis partibus & distinctis temporibus *habita* sive facta, ipsorum *Imperatorum seu Regum autoritate*, etiam quandoque interessentibus personaliter eisdem Imperatoribus & Regibus, convocata.

Videtur autem, quod si *Papa*, de cujus facto agitur, sit sceleratus & incorrigibilis, quod *Rex Romanorum*, vel *Imperator Romanus*, tanquam *præcipuus Princeps & advocatus Ecclesiæ*, super hoc habeat *remedium per convocationem concilii generalis* apponere. Sicut factum fuit autoritate ejusdem *Ottonis I. Augusti* de *Johanne Papa XII*, qui fuit unicus in papatu, sed malignus atque incorrigibilis, & propterea in conventu Prælatorum & cleri Romani, *convocatorum per eundem Augustum*, Romæ fuit depositus, & ei *Leo Papa VIII* hujus nominis, vir utilis & vitæ irreprehensibilis, surrogatus.

Quo defuncto, rursus idem *Augustus*, cum postea *schisma* ortum esset in eadem Romana Ecclesia, *ipse* imperialiter de Germania processit ad Italiam, & deinde Romam progrediens, *duos tunc de papatu* invicem *contendentes*, (quorum alter *Benedictus* vocabatur, & unus Capitolium, & alter eorum castrum S. Angeli, quod tunc Cancer Theodorici dicebatur, cum assistentia suorum amicorum occuparant, quamobrem in clero & populo flagitia perpetrata fuerunt,) in eisdem Capitolio & castro diu obsedit, & tandem *ad cessionem ipsorum utrumque coëgit*. Atque iterum *convocato concilio Prælatorum* in eadem urbe, in quo ipso Benedicto declarato invasore injusto, alio contendente per eundem *Augustum* in sede Apostolica collocato, dictus *Augustus* prædictum Benedictum secum captivum duxit ad Saxoniam, ubi in exilio decedens *in oppido Hamburg* Bremensis diœceseos sepelitur. Et *alia* multa in talibus sunt *exempla*, gratia brevitatis omissa.

qui Hamburgi defunctus.

Nec est credendum, quod ille *Catholicus, magnificus & devotus Princeps*, qui semper ampliavit rempublicam, nec non in Italia & Germania atque diversis aliis partibus multas dotavit Ecclesias, etiam quamplura monasteria de novo fundavit, se de talibus impedivisset, nisi *sancte & licite sic facere* potuisset.

Ottonis Imperatoris jura in Conciliis cogendis & Papis removendis.

Igitur cur *simile* non posset fieri *per alium Imperatorem*, seu *Regem Romanum*, si tamen ei adesset sufficiens potestas in executione, mihi non occurrit.

Idem jus aliorum Imperatorum.

Verum aliqui, *non recte intelligentes Scripturas*, forte dicerent, quod *utraque potestas* scilicet *spiritualis & secularis dependeat à Papa*, sic *quod Rex vel Imperator ipse non haberet contra Papam talia exercere*, juxta illud Evangelicum: *Ecce duo gladii*, & respondit Dominus: *Satis est*. Per hoc enim *gloriantur de* illis *duobus gladiis*, quod per hoc in Petrum & ejus successores potestas venerit à Christo.

Objectio contra jq. Imperatorum in coërcendis pravis Papis:

Quasi potestas civilis pendeat à Papa.

Sed *errant* talia dicentes. Quia *utraque potestas immediate pendet à Christo.* Ut etiam patet in plerisque papalibus canonibus, epistolis & decretis.

Solutum dubium:

Potestatẽ Imperatoris esse à Deo.

Unde ridiculum est, *contra veritatem* hoc asserere vel tenere, ut etiam clarum est per multorum dicta sanctorum. Unde *Chrysostomus: Equidem, si humano volebat eos uti præsidio, nec centum sufficerent gladii: Quod si nolebat eos uti humano subsidio, etiam duo supervacui sunt.* Unde apparet verborum Christi sensum fuisse mysticum. Quod etiam signat manifeste ipsius sermo Matth. XXVI. ubi Christus inquit Petro: *Converte gladium tuum in locum suum*, vel in vaginam. In quo designavit, se non præcepisse, munitionem fieri per Apostolos hujusmodi gladiorum, sed mystice fuisse locutum, ut præfertur. Unde *B. Ambrosius* exponit verba prædicta: *Sic duo gladii permittuntur, unus novi alter veteris Testamenti, quibus adversus Diaboli muniimur insidias. Et dicitur: Satis est: Quia nihil deest ei, quem utriusque testamenti doctrina munierit.*

Testibus decretis.

Consentientibus Patribus.

Unde quidam alter modernus magnus

gnus Theologus, loquens ſuper eisdem verbis, ea ſic exponit: *Verum, quod ad uſurpandos principatus ſacerdotes anhelent. Unde toto exteriori conamine, licet indebite, fingunt peregrinas expoſitiones ſcripturæ. Quæ ipſorum opinionem corruptam, & affectionem perverſam ſapere videantur, libenter recipiunt. Quod ſi tamen literaliter verba Chriſti ſumantur, eis nihil conferunt. Quia juxta Chriſti ſententiam, ipſe Principatum ſive officium ſecularis judicii Petro aut alteri Apoſtolo non commiſit. Sed bene Princeps ad conſilium ſacerdotum, ſecundum exigentiam facti emergentis, uti debet gladio, in movendo bellum, dubitans, utrum juſte ſecundum legem divinam hoc fiat, ne mortaliter peccet, ſicut in reliquis ſuis actibus monaſticis & civilibus, & præſertim, quibus dubitat per ignorantiam peccatum mortale incurrere. Non quidem, quod propterea Papæ, vel alteri ſacerdoti in tali officio ſubjiciatur.*

Conciliũ per Johannem 23. ſine Imperatore convocandũ, irritum futurum auguratur Gerſon.

Ex ſupradictis luce clarius patet, quod ſi *generale concilium* per Dominum noſtrum Papam, aut Cardinales convocetur, aut teneatur, ſecluſis Domino *Rege Romano* & cæteris *Principibus ſecularibus*, nullum finem peroptatum unionis adducet, nec *ad morum ſanctorum reformationem* Eccleſiam disponet.

Imperatoris Romanorũ eſſe, Concilium univerſale convocare.

Quibus bene digeſtis & attentis, *ſolum* mihi videtur ſingulare refugium ac unionis *remedium*, quod *Rex Romanorũ*, qui pro tempore fuerit, absque aliqua perſonarum acceptione *futurum concilium debeat convocare*, & ibidem *defenſor Eccleſiæ præſidere*, & modos ac vias invenire, quibus ſacrum ovile Domini valeat redintegrari.

Quod Sigismundo mox præſtitit. Exemplo Henrici II. & aliorum Imperatorũ.

Ut etiam factum fuit tempore ſancti *Henrici II* & aliorum *multorum Imperatorum*, qui in diſturbio Eccleſiæ, *non parcentes* etiam, quanquam *vero Papæ*, propter publicam utilitatem, unionem Eccleſiæ procurarunt. Quæ quidem *reipublicæ utilitas* omni utilitati privatæ videtur præponderare.

Et quia potiſſime *in Apoſtolica Eccleſia*, non convenit habere niſi *unum Papam*, ut etiam multi volunt canones Papales: Ne principatus ſpiritualis pluralitate inordinata politiam in eisdem ſpiritualibus ſolvat: Imo corrumpentes illam monarchiam ſpiritualem, per Paparum pluralitatem inſimul regnantium, ſicut communiter omnes *Clericos peccantes eſſe ſub jurisdictione judicum ſecularium.*

Episcopi, Presbyteri & *clerici, templorum miniſtri*, communi nomine vocati, in committendo vel omittendo *peccantes*, de facto, in nocumentum & injuriam alterius, ſunt *ſuppoſiti vindictæ, ſeu jurisdictioni judicum ſecularium*, quorum eſt coactiva potentia puniendi legum humanarum transgreſſores, juxta Apoſtolum, *ad Rom. XIII. Omnis anima ſubjecta ſit poteſtatibus ſupereminentibus*, Regibus videlicet, Principibus & tribunis, ſecundum ſanctorum expoſitiones: Eſt enim *judex* quaſi *juſtum animatum*: Igitur *ſecundum humanas leges oportet habere judicem, habentem autoritatem judicandi de contentioſis hominum actibus*, exequendi judicata, & legis transgreſſorem *quemlibet* per coactivam arcendi potentiam. *Hic* enim *judex Dei miniſter* eſt, & *vindex in terra, ejus qui malum agit*, ut dixit Apoſtolus ubi ſupra. Eſt adeò miſſus ad hoc, ut dicitur *I. Pet. II.*

Judicem eſſe oportere contendentium.

Et dixit Apoſtolus, *qui malum agit: Quicunque* ſcilicet *fuerit ille*, indifferenter hoc intelligens de omnibus. Unde *nec Papa* ipſemet, *Episcopus* aut *ſacerdos*, vel *clericus*, legis transgreſſor, divinæ ſeu humanæ, aut agens in alterius injuriam, *excipitur ab hac generali ſententia.*

Papam & reliquos clericos peccantes eſſe ſub magiſtratu civili.

Et debet *Papa*, ſeu alter *Episcopus*, *Clericus*, vel *Sacerdos*, tanto amplius, quanto gravius & indecentius peccat, plecti ſeu puniri, ut jugum ſciens & eligens, qui præcepta fugiendorum atque agendorum amplius noſcere debet. Quia turpius eſt peccatum debentis docere quam doceri.

Clericos gravius plectendos. Quod gravius peccent.

Quia duo ſunt, quibus hic mundus regitur, ſcilicet ſacerdotium & regnum. *Sacerdos* orat, *Rex* imperat: *Sacerdos* debita dimittit, *Rex* errata punit: *Sacerdos* animas ligat & ſolvit, *Rex* corpora cruciat & occidit. Uterque divinæ legis executor, ſuum juſtitiæ debitum cuique tribuit. Quippe diviſum Imperium cum ſacerdote Cæſar habet. Cæſar terrena moderatur,

Regis & ſacerdotũ officia diverſa.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tur, & lutea figmenta judicat, hæc probans, illa conterens. Sane filios hominum decent arma & sagittæ, filios Dei orationes, vota, & sacrificia, ut carbones succendantur ab eis. Dum *vita pastorum* doctrina pascualis est omnibus, & *rigor punientis* pax est populorum. Hoc *Gervasius* in suo libro, quem intitulat *Otia Imperatorum.*

Imperatoris & Romani Pontificis munia.

Ex quibus elicitur, quod *Episcopus urbis Romæ* sit Pontifex animarum post Christum, & *Imperator Romanus* sit *Dominus corporum post Deum.*

Jus Regis a Deo.

Quin imo per Deum ad subditos *jus Regis* institutum est. Pilati nempe potestas in Christum data desursum esse perhibetur. Sic ergo, *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Quia Christus mandat: Quæ sunt Cæsaris, reddenda sunt Cæsari, & quæ Dei, Deo.

Italos jura Imperii invasisse olim.

Videant igitur sibi *Florentini, Januenses* & *Veneti*, nec non alii tyranni-ce *occupantes & conculcantes jura & honorem imperii*, qualiter de hoc in extremo judicio valeant respondere.

Caput XV.

De Episcoporum jure, post Imperatorem, Concilium Generale cogendi.

Et si *Cardinales* bonum Papam, justum & sanctum, ac eis propitium, videantur allegare: Tamen *propter utilitates eorum privatas non debet tota Christianitas esse in errore.*

Non Cardinalibus sed Concilio emendationem Ecclesiæ fuisse committendam.

Quocirca in facto *redintegrationis Ecclesiæ* non est standum eorum dispositioni aut gubernationi, sed *concilio generali, totam Ecclesiam repræsentanti.*

Et si vestra Paternitas quærat, an *ad eos* in casu præsenti pertineat *generalis Concilii convocatio* simpliciter, an ad Ecclesiasticos prælatos, scilicet patriarchas, Archi-Episcopos & Episcopos singulariter: Secure dicerem: *Ubi gladius Imperialis se non interponeret*, ad Prælatos *primo*, & *secundario* ad Cardinales, promoventes negotium generalis concilii, hujusmodi Concilii pertinet convocatio. Ubi autē discordia interveniret in concilii generalis convocatione, ad *prælatos* videtur *primo loco* pertinere, qui sunt *Episcopi.* Ipsi enim sunt *loco Apostolorum*, qui sunt in Ecclesia Episcopi à fundamento primitivæ Ecclesiæ. *Cardinales* autem *erant Romæ presbyteri, ordinati ad sepeliendum mortuos, & baptizandum noviter venientes ad fidem, & eis Ecclesiastica sacramenta ministrandum.*

Episcopos esse loco Apostolorum.

Cardinalium quodnam olim officium.

Cum ergo *privilegium Episcoporum* non expiraverit, videtur, quod ordinatio Ecclesiæ & dispositio *ad eos primo loco* pertineat. Sicut, si Petrus in trina negatione permansisset, nec pœnituisset, nec ipse Princeps Apostolorum extitisset, nec cū aliis Spiritum Sanctum accepisset, sed cæteri Apostoli Ecclesiam disposuissent & ordinassent. Sicut fecerunt, quando miserunt Petrum & Johannem ad Samariam. Nec tunc Petrus ibi misit, sed missus est per alios Apostolos. Non tunc ipsi Apostoli erant Cardinales, sed similiter Coëpiscopi Petri. Ergo *minorem locum secundum Deum & instituta Ecclesiæ obtinent Cardinales, quam Episcopi:* Licet *usurpative* oppositum pateat in eisdem.

Episcopos majores esse Cardinalibus, jure.

Caput XVI.

De Johanne XXIII. in Concilio Generali sede movendo.

Duo scopi conc. Gen.

Sed jam, dum quæritur: Ad qualem *finem* hujusmodi *generalis concilii* fiat convocatio? Respondetur, quod fieri debeat principaliter *propter duo:* Primo ut sit *unio in capite*, secundo ut fiat *unio in moribus & sacris statutis primitivæ Ecclesiæ*, & decretorum ac causarum decretalium observatione.

tunc congregandi, & Constantiæ postea cōgregati.

Et si

Et ſi dicatur, quod *media* ſint *dubia*, ergo *incerta*, maxime, cum jam unicum Papam habeamus: Reſpondetur: Etſi unicum Papam habeamus de jure, illi autem duo, ſcilicet *Angelus* & *Petrus*, ſint *privati de jure*, *non* tamen ſunt *privati de facto*.

Aut ergo congregetur Eccleſia ad hoc, ut ſancita & actitata in *concilio Piſano* demandentur ulteriori & *reali executioni*, & illi duo *privati de jure* etiam *priventur de facto*: Aut ubi hoc remedium reperiri non poterit, quod eſt veroſimile reperiri non poſſe, propter adſtrictas obedientias eis ſubditas, ſeu potentes obedientes ipſis, qui ab eis deviare nolunt: Tunc, ſi illi duo privati & abjecti petant generale concilium, & promittant, ſe ibidem perſonaliter velle comparere, & ſuo juri de facto, quod habent, libere & pure renunciare, in caſu, quo Dominus noſter *Papa Johannes* etiam ſuo juri renunciare velit, tunc in iſto caſu, quid fiet dicam ſine præjudicio: Quod ipſe Dominus noſter *Papa*, ſi alias non poteſt conſuli Eccleſiæ, nec poteſt haberi alias unio in capite, non dico ſemel, ſed pluries, non dico unum papatum, ſed plures, ſi eſſent poſſibiles, *teneatur* in caſu iſto libenter & voluntarie *renunciare*, & papatui ſuo cedere, *ne republica & totata Eccleſia propter unum hominem peccato-facti mox rem ſine virtutibus & exemplis bonis, debe-in Concilio at perire.*

Conditio reſignationis Pontificii duorum, Benedicti & Gregorii, ſi & Joh. reſignet, in Concil. Conſt. ſancte obſervata.

Johannem XXIII. teneri renũciare Papatui.

Const. Quia, & ſi *virtuoſus* exiſteret, regulasque Chriſti imitaretur, qui non venit facere voluntatem ſuam, ſed ejus, qui miſit eum, *voluntati totius Eccleſiæ* Chriſti ſponſæ *pareret*, *& papatui cederet*, ubi ipſa hoc peteret. Nam alias teneo & credo, quod *etiam* unicus & *indubitatus Papa* & univerſalis, ſi alias non poteſt conſuli Eccleſiæ, ad requiſitionem generalis Concilii *teneatur cedere*, atq; omnibus mandatis & præceptis Concilii generalis ſine contradictione parere. Cum *etiam Papa* in hoc caſu *membrum* ſit & non caput *univerſalis Eccleſiæ*. Cujus ſalvationem quodlibet membrum, usque etiam ad ſui interitum, debet exquirere.

Pietatem Papæ ſuadere, ut ſponte Papatui renunciet, ad nutum Eccleſiæ.

Papam eſſe membrum Eccleſiæ non caput.

Si Papa

Quod ſi hoc membrum, ſcilicet *Papa*, præcepto concilii, cujus juſſa & præcepta à Spiritu Sancto fiunt, ſecundum fidem noſtram, nollet forte parere; *Si non audierit*, *primo* ſecrete, *ſecundo* teſtibus adhibitis, *tertio* publice, *tunc ſit in Eccleſia ſicut ethnicus & publicanus*, juxta Chriſti præceptum, & ut *ſchiſmaticus* & *hæreticus* puniendus. Quia qui occaſionem damni dat, & damnum dediſſe videtur, eſt quam cito capiendus, & ab Eccleſia ut turpis ejus pars ejiciendus, aut *carceribus* in perpetuum includendus, aut morte exterminandus, juxta dictum Salvatoris: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Sicut fuit factum tempore *Clementis II.* per *Henricum II Imperatorem*.

Cõc. audire nolit ſed refragetur, ejiciendum ac in carcerẽ conjiciendum eſſe.

Quod mox in Johanne XXIII. contigit, qui in Concilio factã ceſſionem ſervare noluit, carceri incluſus.

Exemplo Clementis ab Henrico Imperatore captis.

Sed, ſi verus Papa in caſu præſenti nollet renunciare, & puniretur, ut dictum eſt: Numquid remanerent ideo illi duo jam privati & abjecti, vel alter eorum, Papa? Aut an quilibet eorum tenetur renunciare juri & autoritati, quam habent de facto? Præterea, ſi dicant, *ſe non teneri aliàs ad renunciandum, niſi verus Papa renunciaret*, ſed hoc verus Papa facere noluerit? Dico tunc, quod *ſacrum concilium renunciabit juri veri Papæ*, & ſuccedet in renunciatione pro vero Papa, & pro eodem promittet & ſe obligabit. Sicut in iſtis actibus legitimis ſolet *pater* facere *pro filio*, quem etiam in neceſſitate magna ſecundum leges humanas poteſt vendere. Cum ergo *Papa filius* ſit & *membrum univerſalis Eccleſiæ*, ut dixi, *univerſalis Eccleſia eum poteſt obligare*, & *pro eo cedere juri papatus*, & promittere, aut quæcunq; alia facere, & quocunque modo, quæ poſſent inveniri pro ejus ſalvatione. Ut factum fuit de tribus ſe pro Papa gerentibus, abjectis tempore *Henrici III. Imperatoris Romani*, & ejus mandato ſeu præcepto.

Concilium Papa in vito renunciare poſſe Papatui.

Exemplo parentis pro filio.

Exemplo Henrici Imperatoris, qui tres Papas removit.

Ex quibus omnibus patet, quod ſi talis convocatio fiat univerſalis Eccleſiæ, & *Reges*, *Principes*, *& Prælati* fuerint *accincti armis Zeli Dei*, legis & juſtitiæ, in *uno propoſito*, & *una intentione*, *non* videbitur *fruſtra* eſſe.

Ex conſenſu Principũ in convocando Conc. ſpem bonã eſſe.

CAPUT

Caput XVII.

De limitibus Reformationis in Concilio universali, quod erat Constantiense.

ET sic consequenter ad quartum respondetur, quod *non* erit *infructuosa talis convocatio, si Regum & Principum* fuerit aut erit *una* sancta *intentio.* Quia tunc alter alterius onera portabimus, tunc erit *sancta societas in vinculo pacis*, tunc spiritu vivemus, spiritu ambulabimus. Tunc talis universalis *Ecclesia* in allegatis per eos *reformabitur*, & merito dicetur: *Ecce, quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum.*

Potestatē dispensandi de Conc. decretis Papæ esse negandā. Quod ita factum in Conc. Cōst. Concilium per intervalla brevis temporis semper esse continuandū, pro Reformatione Ecclesiæ. Quot itidē in Conc. Const. sic decretum. Antiquas salubres primorum Conciliorum regulas à Papis esse abolitas. Concilium ne posse quidem autoritatem dare Papæ dispensandi de statutis Concilii.

Sed tunc caveat universalis Ecclesia super omnia, ut *nunquam* sub quovis colore *concedat* Papæ *potestatem dispensandi contra statuta generalis Concilii*, aut ea interpretandi seu immutandi, propter varietates temporum, & novos supervenientes casus, sed quod solùm illa debeant immutari per aliud *concilium generale, siendum de tempore in tempus propter reformationem Ecclesiæ.*

Luce enim clarius constat, quod pro majori parte facta & ordinata in quatuor generalibus conciliis principalibus, & aliis conciliis per temporum successiones statuta, *crescente avaritia Pontificum, Cardinalium, & Prælatorum*, tam per Papæ *reservationes*, quam per *iniquas Cameræ Apostolicæ constitutiones & Cancellariæ regulas, & formulas audientiæ causarum rotæ, & ambitiosas dispensationes, absolutiones, indulgentias, confessionalia, officium pœnitentiariæ*, sint fere immutata, annihilata, & quasi in derisum & *oblivionem* posita.

Et aliquando fui illius *opinionis*, quod *sacrum Concilium generale, quod repræsentat Ecclesiam universalem, non possit alicui personæ privatæ, quacunque præfulgeat dignitate, etiam ipsi Papæ, autoritatem & potestatem concedere dispensandi & immutandi aut aliàs interpretandi sacri concilii statuta.*

Quanquam prima facie contrarium videantur dicere *canonum jura*, tamen *probatio* patet. Nam cum universalis Ecclesia sit potestas Papâ superior, ut dictum est: Sequitur, quod tanta potestas universalis Concilii inferiori à Concilio non valeat communicari, cum ejusdem non sit capax. Ideo tempore Apostolorum non solus Petrus regebat totam Ecclesiam, quamvis Papa esset, sed solum primò *ut Episcopus rexit Antiochiæ*, post electus est Episcopus Romæ, dimisso regimine Antiochiæ. Quis enim potest considerare, quod tanta *autoritas & virtus capitis uni membrorum inferiori* valeat *communicari?* Sic enim aliquod corpus posset esse sine capite, quod uteretur ratione, si omnia opera capitis unum membrorum inferiorum posset exercere. Et si hoc invenire in corpore naturali non valemus, quia unum opus ab uno optime perficitur, ut dicit Philosophus, multo minus posse fieri in sacramento, corpore mystico, credere debemus. Et ideo dixit Apostolus: *Alios quidem* in hoc corpore *dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Doctores.* Item *in ædificationem corporis Christi*, in unitatem fidei. Item ita, *ut quodlibet membrum* hujus sanctissimi corporis *proprias habeat operationes*, secundum quod magis & minus participat virtutem & superioritatem hujus sacri corporis.

Ratio. Quod virtus capitis uni membrorum non possit communicari.

Concludo ergo, me aliquando hujus opinionis extitisse, quod, sicut virtus quorumlibet corporis naturalis membrorum uni membrorum totius corporis non valet communicari, quia sic frustra essent cætera membra, & corpus monstrum videretur in natura, & membra ipsa viderentur carere vita: Ita in corpore mystico universalis Ecclesiæ, cujus membrum, ut prædixi, dignius Papa videtur esse, *potestas & autoritas ipsius universalis Ecclesiæ* sive generalis Concilii ipsam Ecclesiam repræsentantis, *nec Papæ*, nec alicui personæ privatæ, ut prædixi, *possit nec debeat communicari.* Quod esset includere contradictionem. Quod sic Papa esset universalis Ecclesia: Et sic esset corpus totum & membrum: Et sic omnis Christianus

Potestatem universalis Ecclesiæ Papæ non esse communicandam.

ſtianus eſſet in Papa, & Papa eſſet. Et multa alia exinde inconvenientia ſequerentur.

Papam uſurpare aliorum Epiſcoporum jura non debere.

Nec poteſt negari, quin *Papa* ſibi *uſurpando aliorum Epiſcoporum*, quos *fratres* appellat, *jurisdictionem* & honorem, præſertim ita generaliter, per hoc peccet mortaliter. Quia *contra legem naturalem* & ſacrum Evangelium facit, quibus præcipitur, *ne quisquam alteri faciat, quod ſibi non vult fieri.* Quia debitum & ſanctum eſt, *unicuique ſuum tribuere, & alterum non lædere* (XII.q.2.can.9.

Papa ſuas conſtitutiones ſervet.

Cum igitur Papa ſit conditor ſuarum conſtitutionum, illas non debet in aliorum diſpendium retorquere, ſed potius obſervare, juxta id: *Legem patere, quam tuleris.* Sic enim ipſi ratio dictitat.

Privilegia & jura Epiſcoporum eſſe, ut ſunt membra Eccleſiæ.

Et per has & alias rationes concludo, jura & privilegia Epiſcoporum, Patriarcharum & prælatorum quorumcunque, etiam minorum rectorum, exiſtentium ut membra in corpore univerſalis Eccleſiæ eſſe, cum proprias operationes non poſſent exercere. Et qui tollit ab entibus proprias operationes, certe ſecundum Philoſophum tollit ab eis proprias formas. Quid enim valet, quod unus ſit Epiſcopus, ſine officii ſui executione quod illi Chriſtus contulit? *Nec majorem poteſtatem Petro, quam alicui Epiſcoporum dedit*, ut legitur in Decreto. Quomodo ergo *Papa auſus eſt tollere, quod ſolus Chriſtus dignatus eſt concedere?*

Papa non licere jura Epiſcoporum tollere,

ſibi vindicare, aut reſervare.

Sicut ergo contra ſtatuta Evangelica Chriſti non audet Papa ſe intromittere, ita *nec valet poteſtatem, collatam à Chriſto aliis Epiſcopis, ſibi applicare, nec reſervare.* Quod patet etiam. Nam dixit Apoſtolus: *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Uni ergo Epiſcoporum dedit Chriſtus, ut Petro verbi gratia, decem talenta, alteri Epiſcopo quinque, alteri unum, ut quilibet eorum ſicut fidelis ſervus & prudens lucretur, alius quinque, alius decem, alius unum, juxta diſpenſationē ſibi creditam.

Epiſcoporum munia diverſa.

Papa diſpenſator non dominus bonorum Eccleſiæ.

Sed cum *Papa* ſit unice *diſpenſator* bonorum Eccleſiæ Chriſti, & *non Dominus*, & ad reddendum rationem villicationis ſuæ teneatur, ſicut quilibet alius Prælatus de talentis ſibi creditis: Tenetur ſe non intromittere, & alia talenta aliis commiſſa dimittere, & *conſtitutiones* in camera ſua *pro habendis pecuniis* de proviſionibus Epiſcopatuum & Abbatiarum, quæ ad ipſum nullatenus pertinent, facere, & has maledictas & *rapaces reſervationes beneficiorum* ſtatuere, quæ in primitiva Eccleſia illo tempore, quo fuerunt ſancti Papæ, & quo ſunt fundatæ tot & tantæ Eccleſiæ, ac quo fuerunt tot Eccleſiarum dotationes, nunquam viſæ fuerunt, imo nec auditæ, niſi *poſtquam ſæviit ſummorum Pontificum, & ſuorum Cardinalium avaritia, cupiditas, & ambitio dominii & pecuniæ.* Quia tunc fecerunt & faciunt, juxta eorum voluntates, *leges & decreta de beneficiorum reſervationibus, de proviſionum beneficiorum & dignitatum ſolutionibus, & pecuniarum quantitatibus.* Ita ut jam non videatur *Romana curia* eſſe, niſi quoddam *forum publicum, ad quod quo quis plura portaverit, plura mercimonia habebit.*

Unde leges Papales de beneficiorum reſervatione? Romanam curiam publicum olim fuiſſe forum ante Conc. Conſt.

Et quia *nullus Prælatorum* illo tempore, quo reſervationes & beneficiorum taxationes ſunt factæ, reclamavit ſeu *contradixit*, aut *propter impotentiam*, aut *ignorantiam*, aut *utilitatem propriam*: Ideo jam quaſi *per centum annos*, quia tam diu jam duraverunt, dicunt Papa & Cardinales, prædictas reſervationes jam *in vim* ſanctiſſimi *juris & canonis* transmiſiſſe & præſcripſiſſe, nec poſſe generale Concilium eas immutare. Quod falſum eſt.

Prælates nō contradixiſſe reſervationibus Papalibus. Præſcriptionem temporis in illis reſervationibus nullam eſſe. Prælatorum eſſe has reſervationes abolere.

Imò exſurgant *Prælati Eccleſiæ*, offerentes Deo ſacrificium juſtitiæ, & has rapinas, furta & latrocinia Romanæ curiæ dignentur penitus amovere. Quia non poſſunt in *detrimentum & damnum univerſalis Eccleſiæ* ſtare, aut præſcribi: Cum ſint *contra naturam propriam* corporis myſtici *Eccleſiæ*, ut prædixi, & *contra omnem ordinem juſtitiæ*, & decrementum omnium bonorum ſpiritualium Eccleſiæ.

De officialiū Ro. curiæ vitiis, ante Conc. Conſt.

Nam *propter habendas* hujusmodi *pecunias beneficiorum*, in eadem curia *mille officiales* invenies, & forte *nullum* inter eos reperire poteris ibidem *ad conſervationem virtutum.*

Quales e-

Ibi fit omni die ſermo de caſtris, de terris

lim sermones in curia Ro. ante Conc. Const.

terris, de civitatibus, de generibus armorum, de pecuniis. Seu *raro vel nunquam* ibidem fit *mentio de castitate, de eleemosyna, de justitia, de fide*, aut *de sanctis moribus.*

Corruptio curiæ Ro. ante Conc. Const.

Ita, ut quæ solebat esse *curia spiritualis*, jam facta sit *mundialis*, diabolica, tyrannica, & *pejor in moribus*, etiam in factis civilibus, *quam alia curia secularis.* Et proinde omnia & plura alia mala, scilicet hæreses, schismata, & scandala processerunt, postquam has *rapaces reservationes*, & *pecuniarias constitutiones* Papa cum suis Cardinalibus servari & habere voluerunt.

In Avinionensi curia natas esse illas Constitutiones pecuniarias.

Hæ autem *taxationes Ecclesiarum* & monasteriorum, *solutiones mediorum fructuum* cameræ Apostolicæ & collegio dictorum Cardinalium, & *medietates fructuum* inferiorum beneficiorum, *solutiones denariorum* in eadem curia pro literis Apostolicis habendis, etiam illarum taxationes, & *reservationes Ecclesiarum* & monasteriorum atque beneficiorum, *generales* vel *speciales, in Avinionensi curia*, ipsa illic remanente, pro majori parte initium habuerunt. Quia *non poterat quilibet Cardinalium illius temporis statum tenere regalem, nisi talibus lucris*, undecunque venirent, quotidie fulciretur.

Ad conservandū statum Cardinalium.

Et iterum, postquam ista nova talis qualis unio in *Pisis* facta processit, aliquibus Cardinalibus Gallicis apud nos existentibus, plures angariæ contra prælatos promovendos & reservationes Papales prodierunt. In illis enim versatur eorum *totum studium lucri capiendi causa*, ut *nova* semper inveniant *gravamina* in subjectos, *nemini compatiendo.* Et qui eorum *in talibus novis adinventionibus est acutior, ille magis prudens & utilis* inter confratres *reputatur.* Et qui non credit, accedat ad eandem curiam causa impetrandi aliquam cathedralem Ecclesiam, vel aliquam dignitatem, & videbit ita esse, ut prædixi.

Post Concilium Pisanū aucta artes Papales pecuniariæ. Studium curiæ Ro. sub Johanne XXIII. proxime ante Conc. Const.

Caput XVIII.

Solvuntur dubia, à Johanne XXIII. generali Concilio objecta.

Consequenter ad illud, si Papa loquatur: Ad quid erit hæc convocatio, nonne ad fidem defendendam? Numquid ad potestatem meam restringendum, numquid ad papatui cedendum?

O Papa, si bene intelligis, quæ dixi, si Christianus es, si toti reipublicæ, si universali Ecclesiæ compateris & condoles, ad omnia hæc facienda convocabitur Christianorum concilium.

Conscientiam Johannis XXIII. tangit Gerson.

Si enim bonus es, si sanctus, ut vocaris, existis, si re & nomine sanctitate polles, usque ad mortem debes certare pro justitia. Et quæ major potest esse justitia, quæ major poterit esse tua bona vita, tua sanctitas & fama, quàm, si vides, quod propter tuum papatum, propter tuam potestatem latissimam perit & destruitur respublica universalis Ecclesiæ, fides diminuitur, pedibus Tyrannorum Ecclesia subjicitur, monasteria destruuntur, conscientiæ fidelium periclitantur, ut tunc absque mora & temporis dilatione & *papatui cedas, & potestatem tuam usurpatam diminui* sustineas?

Nonne ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni erant pro nomine Jesu contumeliam pati? Numquid tu major es autoritate Apostolis, numquid sanctior illis, numquid potentior in spiritualibus illis? Certe non.

Exemplū Apostolorum imitari jubet.

Noli ergo æmulari, ut maligneris. Noli dicere: *Ego habeo jus in papatu.* Noli ergo *sub titulo justitiæ* corrumpere totum corpus Ecclesiæ. Nam bonus homo de thesauro suo profert bona.

Si ergo *bonus es*, ut alter Christus te in horto debes offerre Judæis, dicens: *Quem quæritis?* Jesum Nazarenum, *me Papam, ut cedam? Ego sum.* Si me quæritis, quærite, convertimini & venite.

Exemplū Christi objicit.

Si autem *malus Papa es*, quid restat, nisi ut condemneris, & à communitate hominum segregeris, sicut feritas & immanitas belluæ, ne *propter tua privata com-*

Pœnam peccatis dignam nunciat.

commoda corrumpatur per schismata tota respublica.

Concilium necessario convocandum.

Ista ergo de causa *convocatio generalis concilii est necessaria*, imo propter tuam cessionem, vel alium modum quemcunque, quo detur pax Ecclesiæ, fides Christi exaltetur & roboretur, fidelium conscientiæ pacificentur, *Christi ovile reformetur.*

Benedictũ & Gregorium credidisse quidem Christum, sed non in Christum.

Et licet illi duo contendentes *Christum credant*, *non* tamen *credunt in Christum.* Quæ credulitas, secundum Augustinum, est, membris Christi incorporari, & eis uniri caritate. Quod tamen schismatici non faciunt, qui corpus Christi, quod est Ecclesia, lacerant, licet ipsi oppositum clament, & excœcati malitia, & indurati pertinacia, errantes sicut ovis, quæ periit.

Admonetur Joh. 23. ad cedendum.

Dimitte ergo nonaginta novem oves, quas jam habes, in tua obedientia, & vade ad quærendum illam, quæ periit. Quam si tu inveneris, dicas: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat.* Tunc ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Tunc convertetur ad te multitudo maris, multitudo gentium veniet tibi. Ergo patet, quantum illius sacri *concilii convocatio* & *executio* sit necessaria.

Scrupulus de superioritate Papæ, qui careat judice, exemtus.

Et si Papa dicat: *Se non habere superiorem in terris, qui eum judicet:* (*di. XL. can.* 6.) Certum, quod omnes *leges* factæ & decreta *sint propter conservationem reipublicæ*, ut prædixi. Unde illa jura, sic loquentia, intelliguntur, quando malitia Papæ, aut *papatus* ipsius Papæ, *non redundat in detrimentum* aut damnum totius *universalis Ecclesiæ*, & ubi *mala vita* ejusdem *Papæ* non est hominibus notoria. Quia tunc, ut dixi, *propter suum malum vivere* subjicitur præcepto correctionis fraternæ. Secus esset, si bene viveret, bene doceret, ut Papam decet. Quis enim sanctum dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? Nam si malum futurum Papam illi sancti, qui illud capitulum instituerunt, prævidissent, nequaquam de Papa talia dixissent: Cum *Paulus* propter culpam minimam *Petrum reprehenderit*: Qui tamen Princeps Apostolorum exstitit, & *sanctior* & *melior tunc*, *quam nunc sunt nostri Papæ.*

Coditionatũ illud jus Papæ, si sit bonꝰ.

Caput XIX.

Concilium generale novum Constantiense aptius ad reformationem, quam Pisanum.

AD hoc consequenter, quod dicitis: Si *concilium Pisanum* fuit sanctum, & justum, ergo, quæcunque in eo agitata fuerunt, sancta &c. Respondetur, quod dato, quod juste, sancte & licite, sicut rei veritas se habet, concilium Pisanum celebratum fuerit, tamen *non sic aliquid bonum & sanctum esse potest, quin majus bonum inveniri posset*, sanctius & melius, & omni bonitate perfectius, usque quo deveniamus ad primum bonum, quo melius, perfectius invenire nequimus. In cujus perfectioris boni præsentia cessat primi non æque perfecti justitia. Nam *de duobus bonis* semper *majus est eligendum.*

Bonum unum altero melius & majus.

Major spes de Constantiensi concilio quam Pisano.

Cum ergo hoc majus bonum inveniri valeat *in secundo Concilio*, quam *in primo Pisano*: Ubi, secundum opinionem multorum, omnia fuerunt quasi primis motibus facta & agitata, spiritu vehementi, & non matura deliberatione, ut etiam concilium decebat, ordinata, nec completa: Maxime cum illud sacrum concilium ad hoc principaliter fuerit congregatum, ut unus pastor esset, & ovile unum, quod adhuc cernimus esse incompletum: Videtur sane perfectius, melius, & sanctius *futurum concilium* esse, quam primum.

Pisani Concilii imbecillitas.

Magna reformationis spes in Concilio Constantiensi.

In cujus celebratione, cooperante Domino, ut speratur, cessabit impetus primi concilii, *restaurabitur Ecclesia, reservationes beneficiorum & dignitatum deficient, pecuniariæ constitutiones cameræ* prædictæ *destruentur, boni & literati promovebuntur, mali punientur* & repellentur, *simonia tacebit, eleemosyna* in plateis clamabit, *justitia* unicuique quod suum

Ab Imperatore reformationis ordo expectatus in Concilio Constantiensi.

suum est, dabit, Christi patrimonium Ecclesia recuperabit, & *in omni virtute Ecclesia fundata* atque super firmam petram justitiæ firma erit, nec non *ad reformandum* etiam & ad unionem reducendum per dictum *Romanum Imperium*, (*quo non vigente non florebit Ecclesia*,) *ordo dabitur*, & sic fides catholica contra infideles resumet vires, & multi eorum convertentur.

Dato ergo, quod verus Papa *in concilio Pisano* creatus extiterit, non tamen propter ejus papatum Ecclesia universalis pacem habuit. *In secundo* ergo *concilio* speratur, quod sicut erit unus pastor, sic unum ovile invenietur, & universalis Ecclesia in pace firmabitur.

CAPUT XX.

Confirmatur jus Imperatoris ac Principum in convocando Concilio universali, & publica emendatione.

SEd qualiter hoc concilium congregabitur, cum sint voluntates diversæ, obedientiæ differentes? Dico ergo, sicut allegatis, ad *Imperatorem* seu *Romanorum Regem* temporibus præsentibus convocationem pertinere sub pœna peccati mortalis & gehennæ perpetuæ.

Regum ac Principum jus.

Quo absente, vel non existente, dico, ad *Reges* & *Principes seculares*, utpote Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Apuliæ, Hispaniæ nec non Burgundiæ, & alios Reges catholicos, Bavariæ, Austriæ, nec non alios duces & seculi Principes, & sic de aliis, hoc pertinere. Qui non sine causa Dei gladium portant, ad faciendum vindictam in nationibus & increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant judiciem conscriptum. Quia gloria hæc est omnibus sanctis Dei, quod leges positæ sint propter malos. Unde Apostolus: *Justo non est lex posita, sed plagiariis, homicidis.*

Unde credendum est, quod, sicut gloria est uni, cum alius amicus suus ab eo propulsat injuriam inimici, ita magna gloria Deo sit, gaudium & lætitia, cum *Principes seculares*, per *potentiam coactivam*, dividentes ac lacerantes propter eorum commoda corpus universalis Ecclesiæ, sponsæ Christi, quam ipse proprio suo sangvine redemit, & semetipsum pro ea tradidit, persequuntur & puniunt, atque propter utilitatem, curationem & sanationem totius vniversalis Ecclesiæ ad ovile in unum reducunt & reduci faciunt & procurant. Nam *in curatione universalis Ecclesiæ, & pace, tranquillitate totius reipublicæ*, ipsi *seculares Principes sunt patres*, sunt *medici*, sunt *chirurgi, Dei executores summi*, quos Deus posuit ad suas injurias vindicandas.

Si Principes hoc jus suum exercuant, eos gloriam Dei promovere.

Officium Principum in curatione Ecclesiæ.

Et si ad passagium terrestre, *ad liberationem regni Hierosolymitani* è manibus infidelium, tam libenter, potissimum temporibus Conradi III. & Friderici I. Henrici VI. ejus filii, dicti Friderici II. Augustorum & Regum Siciliæ, atque Ducum Sveviæ, undique Reges, Principes, & Domini seculares, Episcopi, sacerdotes ac clerici, contra Saracenos infideles & paganos non absque gravissimis corporum & rerum suarum periculis concurrerunt, fulti subsidiis multarum indulgentiarum, accincti armis bellicis diversorum armorum, qui tamen detentores terræ sanctæ non sunt Christiani, nec in fide Christi nati, imo sunt spatiis terrarum satis distantes: Quanto magis ipsi Reges & Principes, etiam Ecclesiastici Prælati, & alii Christi fideles, *ad liberationem totius Christianitatis, totius universalis Ecclesiæ*, ad redemtionem patrimonii crucifixi Christi Jesu, *ad unionem Christianorum*, tot guerris, tot schismatibus propter istos de papatu contendentes se destruentium & discordantium, deberent *se disponere*: Et in omnibus sumentes scutum fidei, quæ est fundata in unitate pacis, & galeam

Comparatur studium Principum in terra sancta occupanda & Ecclesia universali liberanda atque corrigenda.

leam salutis, & gladium spiritus, induentes loricam justitiæ, & calceati pedibus in præparatione Evangelii pacis, *quoscunque contendentes de papatu*, aut se Papas vocantes sub quovis colore aut titulo, in decrementum & divisionem corporis Christi, quod est Ecclesia, *reprimere*, annullare: Et nullius roboris vel momenti *jura, quæ pro se allegarent*, quibus universalis Ecclesia non uniretur, deberent etiam *non acceptare, nec approbare*: Quinimo potius vel talibus *contendentibus obedientias denegare*, vel eos *via compulsionis* & violentia *ad viam pacis reducere*.

Contra universalis Ecclesiæ emendationem nulla jura valere.

Nam contra bonum & utilitatem ac *sanationem universalis Ecclesiæ* nulla jura, nulla decreta, nullam alicujus justitiam secundum Deum & rectæ scientiæ dictamen possumus acceptare. Quinimo *expediat semper, ut unus moriatur, ne tota gens pereat*: Non, ut *moriatur* naturaliter vel æternaliter, sed *civiliter, opus faciendo virtutis*, ut æternaliter vivat.

Plures nō oportere esse Papas.

Sicut enim non habemus Christum divisum, quia unus est Christus: Ita nullo modo possumus nec debemus assentire, quod *papatus* sit *divisus*, etiam quantumcunque aliquis videatur in ipso papatu jus habere. Quia ipso facto contra bonum universalis Ecclesiæ videtur facere, si non cedat, ut pax ipsa sequatur.

Conten-

Numquid omnium unus Christus est? Ita certe. Sic Ecclesia una est, & Episcopus ejus unus est. Et scire debes, Episcopum esse in Ecclesia, & Ecclesiam esse in Episcopo. (*VII. q. 1. c. 7.*) Quomodo ergo Episcopus unus est, quando *de* hoc *Episcopali papatu tres* sunt *contendentes*, & se Papam vocantes? Numquid tres viros habet Ecclesia & tres sponsos? Numquid prostitui aut adulterari potest Ecclesia? Revera non. Quia *unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit* ait *Cyprianus* (*XXIV. q. 1. 18.*) ut superius est tactum.

dentes Papas non esse ferendos.

Ergo patet ex prædictis, quod *ad Imperatorem*, si est, qui *defensor & advocatus Ecclesiæ universalis est*, & post secundariò *ad Reges*, & *Principes seculares* pertineat in casu præsenti, & *concilio interesse*, & *facta concilii executioni demandare*, & quoscunque de papatu contendentes, ibidem ad unionem integram faciendam cogere, aut alias vias invenire, quibus unus pastor & unum ovile possint esse.

Imperatoris & Principum esse Concilio interesse & præesse, cunctaque componere.

Sicut in multis schismatibus, in Romana sede ortis, factum videtur esse, quæ fuerunt forte XXIV. ut legitur in gestis Romanorum Pontificum & Imperatorum. Quæ violentia, armis, bellis, Conciliis generalibus & compulsione terminatæ leguntur.

Exemplo veterum Conciliorum.

Et hoc fecerunt illi antiqui, devoti, & probi *Imperatores Romani*, potissimum *Germani*, & *alii Principes* ac Prælati, *non habentes respectum ad quodcunque jus*, quod pro se ipso posset quis Papa allegare: Ut universalis Ecclesia propter privata commoda, & propter unum hominem, qui se vocat Papam, divisionem non pateretur, nec in decremento ac schismate esset, ac ut *Imperator Romanus*, qui à Papa consvevit intitulari filius spiritualis, tantus Princeps, in orbe terrarum eximius, unum verum Papam in patrem spiritualem efficaciter recognoscere posset.

Imperatorum Germanorum egregia facinora in vindicanda Ecclesia.

CAPUT XXI.

Si Imperium Ro. vacet, cujus sit jus convocandi Concilium universale.

SEd quia bonum universalis Ecclesiæ non cessatis profundius indagare, tale movetis quæsitum. Cum te, pater, audirem dicere, quod futuri concilii generalis convocatio ad solum spectet Imperatorem, seu Romanum Regem: Sed *cum ad præsens de facto vacet Imperium*, & *Imperii Electores* diversis obediant, utpote quidam *Johanni*, quidam vero *Angelo Corario*, non

Vocabat Imperiū A. 1410. Electores diversis Papis obediebant.

non videtur esse verosimile, quod ad invicem possint ad electionem convenire. Et sic, *si diu remaneat imperium absque Rectore*, consimiliter videtur, quod manebit Ecclesia sine concilii convocatione. Quia diu durabunt hæc schismata in Dei Ecclesia.

Deficiente Imperatore, Regum ac Principum jus in convocando Concil.

Hujusmodi quæsito respondere valeo per ea, quæ scripsi superius, ubi dixi, quod *ad Imperatorem* in casu præsenti *convocatio concilii* videatur pertinere. Quod si non sit, devolvitur hæc convocatio *ad Reges* & *Principes* primo, post *ad communitates*, & *alios Dominos seculi*. Quod si non essent, in casu possibili, devolvetur *ad cives*, & *rusticos* post, usque quo deveniretur *ad minimam vetulam*. Sicut enim universalis Ecclesia potest salvari in minima vetula, sicut factum est tempore passionis Christi, quia est salva facta in virgine beata: Sic *ad salvationem universalis Ecclesiæ posset convocatio concilii fieri per minimam vetulam*.

Civium, rusticorum, jus. Vetulæ jus.

Concilium Pisanum coactum per duos Cardinales.

Sicut enim ante concilium Pisanum propter pertinaciam & perjurium duorum, tunc & nunc contendentium de papatu, *convocatio concilii Pisani* juste & debite facta *per duos Cardinales*, & ad eos secundum justitiam talis convocatio pertinuit, secundum omnes doctores scribentes in illa materia: Sic *propter defectum Imperatorum*, ad *Reges* primo & ad *communitates*, & post ad *Principes* & *Dominos seculi* pertinet convocatio instantis generalis concilii.

Et si dicatur: Quis esse debet principalior & primus, *qui præsidet*? Videtur, quod secundum ordinem descriptum in libris Pontificum Romanorum, & prout olim fieri consvevit.

Nec deberet mirari aliquis Papa & alii Ecclesiastici Prælati, quod illa convocatio concilii generalis spectet ad Regem vel Imperatorem Romanum. Ad hoc enim, quod *Papa & alii Ecclesiastici Prælati Regem vel Imperatorem, ut præcipuum in terrenis caput, omni reverentia venerari teneantur*, nos instruunt Christi exempla, qui descriptioni Augustali matrem subjici voluit, qui staterem Imperatori pro tributo solvit, & à Pontio Pilato imperiali Præside judicari sustinuit.

Imperatoris dignitas supra Ecclesiasticos.

Imperatoris majestas est à Deo.

Nec gratis dictum est: *Honora Regem, Deum time.* Quis igitur ambigit, *imperium* sive regnum *autoritate divina formatum*? Si tamen à *Christo petra*, ut *à fidei fundamento*, non separatur.

Christus petra est, fidei fundamentũ.

Nam utriusque Deus autor est, scilicet sacerdotii & regni, utriusque protector, utrumque suo privilegio insignivit. Igitur etiam Episcopi & sacerdotes juxta præceptum Domini reddant, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo.

Regnũ & sacerdotium à Deo. Sacerdotes dent Cæsari, quæ sunt Cæsaris.

Cap. XXII.

Solvuntur dubia, quæ obstarent, quo minus novus Imperator eligendus posset Concilium congregare.

AD illud vero, ubi magis videmini casum arctare & dicere: Esto, quod Electores conveniant, & eligant: A quo coronam recipiet novus electus? Si ab illo, cui obedit, ergo juramentum illi præstabit solitum. Qualiter ergo hic *Rex novus* absque sui Papæ licentia, & ipso nolente, concilium convocabit? Aut qualiter, dato, quod convocet, Papam coget ad cedendum, si opus fuerit, aut compellet potentia coactiva, vel qualitercunque circa hoc providebit?

Dubium, an juramentum Papæ præstandum à novo Cæsare.

Hic respondetur dupliciter. *Primo* dico, quod coronam recipiet ab illo, cui obedit, *si velit*, cum solito juramento.

Juramentis à novo Cæs. Papæ factis, Cæsarem non obligari, propter reformationem in capite & in membris.

Veruntamen *hæc juramenta*, & si mille forent, *propter reformationem Ecclesiæ in capite & in membris*, ipsum *Imperatorem non ligarent*. Quod patet reali experientia de multis, præsertim Ecclesiasticis Prælatis, qui olim eisdem Ange-

Exemplo aliorum Prælatorum.

Angelo & Benedicto jurarunt, & tamen propter unionem, ad quam venerunt, ſunt abſoluti, nec peccaverunt, imo ſic faciendo & zelum Dei zelando meruerunt.

Juramenta Papæ præſtita quomodo intelligenda.

Intelliguntur ergo omnia juramenta, ipſi Papæ, vel cuiquam alteri perſonæ privatæ mortali præſtita per quamcunque perſonam, *ſalva ſemper utilitate*, curatione & ſanatione *totius corporis reipublicæ*, & præſertim univerſalis Eccleſiæ. Sicut ſi Rex iniquus in populum ſibi ſubditum vellet deſævire, non tenentur ejus ſubditi juramentum homagii & fidelitatis olim præſtitum ei in aliquo obſervare. Nam, ut prædixi, in curatione univerſalis Eccleſiæ, & cujuscunque reipublicæ ſubditi fiunt Domini, & judices Dominorum & ſuperiorum, proprias utilitates cum detrimento reipublicæ amantium.

Aliter, ſi hæc reſponſio minus bona videtur, dicitur. Cum dictum ſit, quod Imperator gerat Dei in hac parte gladium, & ideo debeat ipſum in ſceleratos quoslibet exercere, absque alicujus perſonæ ſeu perſonarum exceptione: Videtur dicendum, quod, ſtantibus duabus vel tribus obedientiis, ſi ipſe electus ad unionem Eccleſiæ tendat, ſi ipſam deſideret, ſi affectet; (Quam propterea affectionem & executionem realem poſſunt & debent ab eo ante electionem Electores imperii requirere, ſub certis juramentis & pactis, ſicut factum eſt in electionibus Petri de Luna, Innocentii VI & ejusdem Angeli:) Quod ideo ipſe à nullo illorum contendentium de Papatu teneatur nec debeat coronam imperii recipere, *nec aliqua juramenta alicui eorum præſtare*, ſed ſtatim absque mora, ſi alias non poteſt conſuli Eccleſiæ, *Eccleſiam convocare*, & contendentes ad cedendum compellere, & ſi rebelles fuerint, armis invadere, vel verbis aut muneribus ſeu promiſſionibus eos capere, & diris carceribus mancipare, & qualicunque modo unionem Eccleſiæ potuerit procurare.

Novũ Imperatorẽ nulli Papæ debere jurare: Sed Conc. ſtatim convocare,

& cuncta arte ac marte componere.

Nam *talibus fides denegatur*, propter quos Eccleſia & totum corpus reipublicæ ſcinditur & turbatur, & utraque respublica, Eccleſiaſtica videlicet & terrena, miſere laceratur. Et ideo bene dixit ille: *Frangenti fidem fides frangatur eidem.* Sic factum eſt ſæpe in aliis ſchiſmatibus, ut ſcripſi. Quibus contendentibus de Papatu deletis, & membris primo Eccleſiæ univerſali incorporatis, hæc unio ſemper primo fieri debet. Sicut natura facit in membris, quæ primo compaginat, antequam caput formet. Conſequenter fiat *unio in capite* juſto, ſancto & virtuoſo, ut alter Judas Maccabæus zelum fidei Chriſtianæ zelante. A quo cum Dei timore, cum omni reverentia filiali recipiat miles Chriſti, & executor Imperialis coronam ſacram imperii cum juramentis & reverentiis ſolitis.

Frangenti fidem fides frangatur eidem.

Cæſar primo diſſidentes removeat.

Eccleſiæ membra combinet.

Novum Papã bonũ eligat.

Ab hoc coronam admittat.

Et ſic multi Romani Principes, Reges videlicet & Imperatores, in ſimilibus ſedatis per eos & ipſorum autoritate ſchiſmatibus, tunc in eadem Eccleſia Romana exortis, in geſtis Romanorum Pontificum & Regum feciſſe leguntur.

Exemplo aliorum Imperatorum.

Sic ergo primo *electus in Romanum Regem* procuret *unionem in membris*, ſecundario *in capite*. Ut tunc coronam imperii absque læſa conſcientia ſecure recipere poſſit, & ſic totam Eccleſiam præſtare Domino redintegratam in vinculo unionis. Ut tunc, ubi abundavit peccatum, ibi juſtitia regnet, in multitudine proborum & juſtorum. Et tunc bene Pſalterium cum cithara concordabit.

Sic cuncta redintegratum Cæſarem.

CAPUT XXIII.

Acris cenſura pecuniariarum Papæ conſtitutionum circa tempora Concilii Conſt.

Conſequenter autem ad alia, ubi videmini innuere, quod *Papa reſervaris ſua diſpoſitioni omnes Cathedrales Eccleſias*, & *dignitates abbatiales*, nec non *omnes prioratus conventuales*, & majores poſt Pontificales in Cathedralibus,

Reservationes Papales varia.

bus, nec non omnes Principales dignitates in collegiatis Ecclesiis, ubicunque vacantes & vacaturas, *ne ordinarii possint quoquo modo de eis disponere.* Et ideo videbamini quærere, utrum tales *reservationes* secundum Deum & conscientiam possint jure teneri, aut defendi? Et an illas dignitates capientes possint eis licite uti?

Papam non plus ordinare posse quã à Christo vel Ecclesia illi concessum.

Cui quæstioni arduæ respondeo, unico medio jam quasi superius descripto, per totum: Quod *Papa non possit plura in Ecclesia ordinare* & statuere, *quam ab ipso Christo* primò, & post *ab ipsa universali Ecclesia est & fuerit ipsi concessum.*

Ius de terrenis disponendi, Papæ non esse concessum à Christo. Nec Petrũ tale jo exercuisse. Pœnitentiam prædicandi & absolvendi jus, Petro & aliis Episcopis datum.

Non enim legimus, *Christum* illi contulisse potestatem, beneficia, dignitates, Episcopatus, villas, terras dispensandi aut distribuendi.

Sed nec unquam legimus, *Petrum* hæc fecisse. Sed solum hanc *potestatem* ei tribuit specialem scriptam *Matth. XVI. quam etiam minimo mundi Episcopo concessit*, scilicet: *Quodcunque ligaveris super terra, erit ligatum & in cœlis*, scilicet per pœnitentiam, & *quodcunque solveris* &c. per absolutionem & indulgentiam, sed clave non errante.

Elegans ordo antiquus beneficia Ecclesiæ dispensandi.

Veruntamen post, crescente modernorum Imperatorum & Regum ac Christianorum fidelium devotione, creverunt in diversis mundi partibus Ecclesiæ, quæ diverso indigebant regimine. Quocirca per universalem Ecclesiam in diversis generalibus conciliis certæ potestates *dispensandi certa beneficia* sunt Papæ collatæ, ac faciendi alia. *Reliqua* vero *beneficia dispositioni ordinariorum* sunt *commissa.* Ut quod patriarchæ & Cardinales per Papam instituerentur, primates vero per Patriarchas, Archi-Episcopi per primates, Episcopi per Archi-Episcopos, Abbates vero & reliquæ dignitates per ordinarios. Ita per multa tempora, plus quam per mille & ducentos annos adstitit Regina, Ecclesia, à dextris Christi in vestitu deaurata, & circumdata varietate diversorum graduum & statuum in Ecclesia, sic fuit disposita, sic ordinata, ut satis prolixe & clare in Decretis continetur.

Crescente vero postea, ut superius pluries tactum est, *intolerabili pompa, avaritia & ambitione* in Papa & Cardinalibus, *inceperunt modicum beneficia reservare.*

Reservationes beneficiorũ sensim orta.

Et quia *nullus* eorum malitiis, *propter defectum conciliorum*, *restitit*, successive *omnia mundi beneficia reservarunt*, rapina manifesta, *Episcopos* & ordinarios suis potestatibus & autoritatibus & consuetudinibus & *juribus* sine causa *privando*: Immemores illius, quod *non debeat inde procedere injuriarum occasio, unde jura nascuntur.*

Episcopi juribus suis per Papas privati.

Et si sua jura unicuique Episcopo non servantur, quid aliud est, quam ut *ordo Ecclesiasticus confundatur?* Nec jura proclamat, nec dicit Papa: Nec honorem meum reputo, in quo fratres meos, scilicet Ecclesiasticos Prælatos, honorem suum perdere cognosco. Cur igitur modernis temporibus tam varie *Papa veteris sermonis oblitus* quasi omnia jura suorum fratrum sibi usurpare conatur, faciendo *mille regulas in* sua *cancellaria ad habendum semper pecunias recentes & multas?*

Ordo Ecclesiasticus confusus.

Regulæ Cancellariæ Ro.

Et quidem *remota justitia non sunt regna nisi magna latrocinia.*

Justitiæ exilium.

Præterea bona temporalia per Constantinum & ejus successores, Catholicos Imperatores & Reges Romanos, collata sunt, ut Papa, Episcopi & Prælati de illis *ad certos pios usus* in jure descriptos pro tempore dispensarent, & potissimum ex illis pauperes nutrirentur. Pro quibus faciendis licitum est etiam vasa sacra alienare. Et plus Episcopi & sacerdotes ad illos debent intendere.

Bona Ecclesiæ cui usui olim destinata.

Ideo dico, quod secundum Deum & rectam conscientiam, ex quo *Papa cum suis Cardinalibus transgrediuntur terminos rationis & justitiæ, quos statuerunt patres nostri, fingentes autoritates & potestates sibi collatas fuisse à Christo*, quas nunquam legimus in Evangelio, excedentes etiam limites conciliorum generalium, & *usurpantes sibi tales potestates, quas per mille annos nunquam Papæ ausi sunt facere* vel attentare, qui, vel saltem multi, fuerunt meliores, sanctiores & digniores Pontificibus hujus temporis: Quod in-

Reservationes Papales descriptæ.

quam, *tales reservationes* sint *rapinæ manifestæ, violentiæ publicæ, jura papalia iniqua & abusiva*, consuetudines Diabolicæ ad omne malum inductivæ. Nec talium reservationum est capax papalis autoritas, nec etiam potest exercere, nisi universalis Ecclesia sic vellet disponere.

Ecclesiastica beneficia à Papa accepta posse retineri.

Et ideo dico, eorum *promotiones & provisiones* non tenere quoad Deum. Licet forte quoad militantem Ecclesiam videantur validæ esse: Et ideo Ecclesiastica, beneficia vel provisiones acceptantes, tamen sine dolo & fraude, atque sine Simoniæ rabie, secundum Deum licite possint retinere. Excusantur enim ignorantia invincibili, & simplicitate excusabili. Licet ea simpliciter dimittere, & non illo modo per reservationem acceptare, judicarem apud Deum tutius & perfectius esse.

Bonis pastoribus Ecclesiam destitui propter illas constitutiones pecuniarias.

Ex istis constitutionibus innuere videmur, quod propter eas *Ecclesiæ* & monasteria *bonis Pastoribus defraudentur, propter forum & mercimonia* in talibus ejusdem *Romanæ curiæ*. Nec amplius, ut dicitur, electi audiuntur cum suo jure, qui non habuerunt, unde solverent: Vel si habeant, sed alter superveniens plus offerat Papæ & Cardinalibus, ut promoveatur ad Episcopatum vel abbatiam, de qua, seu quo petitur confirmatio aut provisio fieri pro electo.

CAPUT XXIV.

Graves stricturæ in novissimas illo tempore Constitutiones pecuniarias Alexandri V. & Johannis XXIII.

SUbsequenter autem venio ad illas *novellas constitutiones Alexandri & Johannis* prælectorum, quibus cavetur, quòd promotus ad aliquam Ecclesiam cathedralem, vel aliquod monasterium &c. & quod impetrans beneficium reservatum à Papa &c.

Pestiferæ constitutiones Johannis XXIII. proxime ante Concilium Const.

Huic quæstioni, Pater reverende, cum non sint de jure, sed de facto hæ *pestiferæ constitutiones*, satisfacere nequeo ad præsens, cum sint super *violentia manifesta, Simoniâ publicâ, rapacitate supina*, & ovium Christi dispersione fabricatæ, quæque ad aliud non sunt, nisi *ut eorum conditores furentur, mactent & perdant*, ipsi videlicet *Papæ* & *Cardinales*.

Imperatorem non teneri ulli ex tribus illis Papis nomen suum dare.

Quocirca, ut futurus *Rex* vel *Imperator Romanus*, Domino concedente, adhæreat dictis *Angelo* & *Petro*, & tali lupo rapaci, & tali raptori tyranno, qui non regnat in Ecclesia, nec principatur propter bonum commune, sed solum propter bonum privatum, & ejus principatus est manifesta tyrannis, quod sana conscientia compellat, seu compelli faciat, aut audeat compellere, non video.

Malis Pontificibus non esse obediendum.

Quia, licèt dicat Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita debet esse*: Veruntamen in his, quæ non vergunt in blasphemiam creatoris, seu injuriam fidei & nostri Redemtoris. Sed non potest major esse creatoris blasphemia, quam ut *Ecclesiam* suam, Christi sponsam speciosam, suam filiam electam, quam pretioso suo sangvine, cum tot injuriis, alapis, verberibus crudelissimis, & tandem patibulo crucis, gratis ex sola sua misericordia redemit, mercimoniis, & *in foro publico, homicidis, adulteris, raptoribus & malignis, venalem* indifferenter nostri superiores *exponant, prostituant, & tanquam meretricem pro quæstu tradant*: Non advertentes, quod *magis oporteat regulare concupiscentias, quam scribas*, ut dicit Philosophus, *II. Politicorum*.

Ecclesiæ fata ante Concilium Const.

Artes sacræ Johannis XXIII.

Quippe Judas semel pro XXX denariis Christum vendidit, *isti* autem *omni die centies Christum & Ecclesiam vendunt*, non solum pro XXX denariis, sed *pro mille & pro centum*. Et aliquando *uni vendunt*, & postquam pecunias habent ab eo, iterum *ab eo* tollunt, & *alteri pro pecunia exponunt*.

Sic ergo concludo, quod superioribus sit obediendum in licitis & honestis,

Ecclesiasticorũ descriptio, quales circa tempora Conc. Const. in Ecclesia eminuerint.

stis. Non autem compelli debemus ad eorum obedientias, ubi opera eorum sunt notorie prava, & totam Ecclesiam scandalizantia, ubi est patrimonii Christi manifesta dissipatio, & injuriosa dispensatio, ubi *pastores* sunt *tonsores*, ubi *non* sunt *agni*, *sed lupi*, ubi *non* sunt *dispensatores* mysteriorum Christi, sed *dissipatores*, ubi non sunt *sobrii* sed *ebrii*, ubi non sunt *Prælati*, ponentes animas suas pro ovibus suis, sed *Pilati*, satisfacientes aliorum cupiditatibus & desideriis, & ubi non mittunt retia sua in *capturam animarum*, sed *pecuniarum*. Omnis enim eorum cura circa *acquisitionem pecuniarum* est. Et breviter, ubi non *Christi*, sed mores gerunt *AntiChristi*.

Res pecuniaria præcipua olim cleri cura.

Et ideo Christus dixit, talibus non obediendum. *In novissimis enim temporibus multi venient in nomine meo dicentes: Ecce hic Christus, Ecce illic Christus.* Sicut modo dicitur: Ecce hic est verus Papa, ecce iste alius est verus Papa. *Nolite credere eis*, ait Christus. Imò, si nos debemus subtrahere ab omni fratre ambulante inordinate, quanto magis à superiori perverso & iniquo, ex cujus exemplo tota corrumpitur respublica, & sancta mater Ecclesia deturpatur.

Simonia Johannis XXIII.

Sic ergo *hæ novellæ constitutiones* etiam sunt *publica Simonia*, & notoria violentia, ex quibus scandalizatur tota Ecclesia.

Similis in Ecclesia nunquam audita.

Quis unquam audivit vel legit, olim per Petrum aut ejus successores in papatu intra mille annos & ultra fuisse talia attentata? Quæ si quandoq; tunc facta fuissent & cognita, nemo ad fidem catholicam propterea, nisi omnino reprobus (ut sic etiam illis lucrari potuisset, prout *Simon magus*, tentando Petrum, per pecunias se obtenturum credidit,) converti verisimiliter potuisset.

Simoniaci sub Joh. 23.

Quapropter recipientes & procurantes taliter Ecclesias & beneficia, & pro eis solventes *juxta tenorem hujusmodi constitutionum*, scienter & animo deliberato *simoniam committunt*, & mortaliter peccant, & renunciare ipsis Ecclesiis, beneficiis, officiis sic obtentis omnino tenentur, & inhabiles sunt ad alia beneficia obtinenda, cum super hujusmodi Simonia Papa non possit dispensare in Dei Ecclesia.

Gehasita.

Nam si *Gehasi* propter unam miseram tunicam sibi collatam, quam tamen non postulavit, lepram incurrit & vindictam Dei sensit: Quanto magis vindicandi sunt ementes & vendentes Dei & Christi sanctuaria, & beneficia sacra, quæ de jure divino vendi aut emi non possunt, super quo jure divino Papa nullam potestatem videtur habere.

Et ideo corollarie infero, quod si aliquod beneficium, aut abbatialis dignitas vacaret, quod, seu quæ *in curia Romana* esset reservatum vel reservata, & de ipso vel ipsa tam ordinarius quam Apostolicus providerent, veruntamen *ordinarius* providerit gratis justo, literato & virtuoso: Apostolicus autem secundum tenorem illarum constitutionum, quæ hæresin aliqualiter videntur sapere, provideret uni, alteri: Certe secundum Deum collatio ordinarii tenebit, & *secundum rectam conscientiam*, quia gratis accepit, & gratis dedit, *secundum* etiam *leges & decreta*, quia collatio talis beneficii sibi à primitiva & sancta universali Ecclesia fuit concessa, licet Papa eum tali collatione per nefandas reservationes privaverit sine causa. Quam privationem & reservationes Papa non potuit facere, ut prædixi, cum non possit contra statuta generalium Conciliorum primitivæ Ecclesiæ universalis aliquid statuere vel ordinare, ut superius dixi. Et ideo secundum *jura* & *rectam conscientiam* in casu illo tenet ordinarii collatio: Quia Papæ reservatio est manifesta violentia & rapina. Licet de facto forsan fiat oppositum.

Episcopos suis juribus posse uti, invitis Papis.

Prælatis tacentibus reservationes auctæ.

Et ideo, quia jam Prælati nostri temporis sunt canes muti, non valentes latrare, hæ *pestiferæ constitutiones* & *reservationes* juris & legis nituntur occupare locum, in tantum, ut horribile sit dicere, *quot mala per hujusmodi reservationes fiant*: Cum illi, qui sunt *familiares Cardinalium*, aliquando *homicidæ*, *illiterati*, seu irregulares, *coqui*, *stabularii*, *mulatorii*, per hujusmodi regulas cancellariæ possint in Ecclesiis cathedralibus habere dignitates, canonicatus:

Quibus beneficia sacra olim tributa.

nicatus: Sed illi, qui ſunt Magiſtri in artibus vel medicinis, Baccalaurii in jure canonico, vel civili, nequaquam posſint tali gratia gaudere.

Literati & virtuoſi à beneficiis ſacris olim excluſi.

Ex quo patet evidenter, quomodo per hujuſmodi reſervationes *virtuoſi & literati excludantur, ribaldi* vero, *illiterati* ac *diſcoli* & malefactores promoveantur.

Et quia omne, quod non eſt ex fide & charitate, peccatum eſt, propterea omnes recipientes promotiones, prætextu hujuſmodi reſervationum, ſunt in ſtatu damnationis & filii mortis, niſi velint pœnitere & beneficia ſic adepta ſimpliciter relinquere, quia non intrant per oſtium ſed veniunt aliunde. Et ideo dixit Chriſtus de iſtis omnibus: *Jam omnes, quotquot venunt, fures ſunt & latrones, quia aſcendunt aliunde, quam per portam fidei & charitatis*, ac inſtitutiones Chriſti & primitivæ Eccleſiæ, & ſanctorum ſtatutorum, canonum & *conſtitutionum ſanctorum Patrum*. De quibus, ut videtur, modicum aut nihil jam in Eccleſia Romana tenetur. Ita ut jam *liber decretorum* & *decretales*, cum tanta ſollicitudine ab antiquis compilata, ſpernantur, & quaſi pro cifra in Eccleſia Romana, imò pro deriſu & contemtu habeantur, propter hujusmodi reſervationes Diabolicas.

Fures & latrones in Eccleſia.

Implorat Gerſon auxilium divinum.

Exſurge igitur, o Deus, in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum tuorum! Exurge, o Deus, in præcepto, quod in primitiva & ſancta Eccleſia tua mandaſti, & ſynagoga populorum Chriſtianorum circumdabit te! Conſumatur nequitia peccatorum, & malorum Pontificum & Cardinalium! Erige juſtum & ſanctum Papam, qui Eccleſiam *in moribus* & *virtutibus, antiquisq; conſuetudinibus* dirigat & conſervet.

CAPUT XXV.

Corruptisſimos Eccleſiaſticorum mores ex Eccleſia prorſus eſſe eliminandos.

Sed ponatur, ut dicitis, quod *Papa* cum ſuis Cardinalibus *omni die juiter parturiat injuſtitiam*, concipiat dolorem, ſcilicet peccati, pariat iniquitatem, non curet de mandatis generalis Concilii, ſed velit perſeverare in malitia peccati, & *Simonia* per maxime; quid erit faciendum?

Comparantur Eccleſiaſtici ante Conciliũ Conſt. cũ ſacerdotibus Belis.

Certe, Pater mi, quod dicitis, ultimo faciendum. Sicut enim illi *ſacerdotes Bel*, qui devorabant ſacrificia Bel poſita, & mentiebantur, dicentes populo, die altero, quod Bel devoraſſet illa ſacrificia, propter quod libenter Bel populus ſacrificabat: Dum tamen fuit repertum, quod fuerit fallacia & deceptio maxima, de mandato Regis Babiloniæ omnes pariter ſunt miſi in lacum leonum & devorati, nullus ex eis ſuper terram remanſit: Etiam *hi ſuperiores presbyteri, mentientes Deo & hominibus*, cum quibuſdam *indulgentiis* & benedictionibus & *diſpenſationibus*, prædicantes multa, quæ non ſunt, & dicentes bonum malum, & malum bonum. Qui, niſi *totaliter eradicentur*, ita, ut *plantatio Bonifacii Bonifaciana*, quam non plantavit cœleſtis agricola, *extirperur*, & à communitate hominum ſegregetur in perpetuum, ita ut apud poſteros unam eorum oblivionem accipiant, *timeo, quod nunquam Eccleſia Dei reformetur in capite & in membris*. Imo Simonia non damnabitur, reſervationes & diſpenſationes fient ampliores, pecuniæ magis extorquebuntur, Prælatorum poteſtas & reditus diminuentur, & omnia bona mundi Papa & ejus Cardinales ſibi applicabunt.

Bonifacii IX. pravos mores ex Eccleſia exterminandos.

Reformationis deſideratæ ſpes dubia.

Non erit *Apoſtolica ſed apoſtatica*, non divina ſed maligna, in qua non eſt ſedendum, ſed longe ab ea fugiendum; juxta dictum Prophetæ: *Non ſedi cum ſerendã, conſilio vanitatis, & cum iniqua agentibus non introibo, odivi Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.* Quia omnis bonus Chriſtianus dicit, quod ſequitur: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum, Domine.*

Apoſtaticam Eccleſiã deſerendã, qualis antè Conc. Conſt.

Et iſti recte *impii* vocantur, cum quibus pereunt, qui eis obediunt, juxta illud:

illud: *Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam, in quorum manibus sunt, dextra eorum repleta est muneribus.*

CAPUT XXVI.

Non esse eligendum novum Papam ex tribus remotis, nec ex Collegio Cardinalium, ante Concilium Constantiense existentium.

ET quod quæritis, cum omnibus modis hoc generale concilium fieri debeat, *an de collegio* eorundem vel *extra illud* sit assumendus, qui erit *eligendus in Papam?* Et in casu, quod *isti tres* cedant, an expediat, quod *eorum* aliquis eligatur? Videtur mihi, quod *nullus eorum, nec* etiam *aliquis de collegio eorundem Cardinalium* in Papam sit assumendus.

Nova confusio, si ex tribus Papis remotis unus iterum eligeretur.

Nam si aliquis eorum assumeretur in Papam, semper *perplexitas conscientiarum remaneret* in illis, qui alteri parti obedierunt. Nec forsan primo crederent, eum Papam esse. Iterum illi, qui eidem antea obedierunt, possent aliis improperare, & dicere: Ecce verum Papam nos semper habuimus. Nam si talis non fuisset, nequaquam electus noviter extitisset.

Cardinalis in Papam electo non desinet pristinam exercere simoniam qua assuetus.

Nec etiam *de collegio Cardinalium* est assumendus. Primo, ne videantur eligentes ipsam unionem procurasse *propter utilitatem propriam*, quod quilibet speraret, se debere in Christi vicarium assumi. Tum etiam, ne majores errores & scandala videantur posse in Dei Ecclesia ponere in futurum. Nam, cum *difficile* sit *consueta relinquere*, si aliquis istorum assumeretur, *qui noverunt & continue practicarunt Simonias, beneficiorum venditiones, pecuniarum extorsiones*, & tot beneficia & monasteria in commendas habuerunt, eorum singulariter singuli: Possit talis, qui assumeretur, ista non agere aut practicare?

Novum Papam ex diversis ordine regnis petendum.

Ideo, ut omnis suspicio tollatur, erit necesse, *per generale concilium* provideri, *in quantum erit possibile*, ne unquam de Collegio Cardinalium aliquis assumatur: Sed ut e *diversis regnis & provinciis* ordinate, & juxta ordinationem regnorum semper assumatur in *Papam, qui melior, literatior, in moribus gravior & sanctior in illa provincia* seu regno reperiretur, non obstantibus juribus in contrarium editis.

Electionem Papæ in isto hoc Concilio non solis Cardinalibus sed optimis quisque competere.

Quia *eligere Papam in hoc instanti concilio pertinebit ad perfectiores & magis expertos, præclaros, qui erunt in ipsa congregatione.*

Quia dicit Philosophus: *Eligere recte, scientium opus est*, veluti Geometram Geometrarum, & gubernatorem gubernatorum: Qui sint in electione constantes & concordes, nec inter se sint in electione divisi, ad evitandum alias novi schismatis periculum, & esset error novissimus pejor priore, quæ *dissensio* præcipue præcavenda est. Unde dicit Philosophus, *sicut in bellis penetrationes aperturarum etiam valde parvarum distrahunt acies, ita videtur omnis diversitas facere disfidionem.*

Optimus quisq; in Papam eligendus.

Et eligant talem, de quo Christus dicere posset: *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum, nihil proficiet inimicus in eo*, & filius iniquitatis non apponet nocere ei, & conscindam à facie ipsius inimicos ejus, & odientes eum in fugam convertam.

CAPUT XXVII.

De Romani Imperii damnis ex corruptis Pontificibus.

ET quia Principem perfectam oportet habere moralem virtutem: Inde *si bonum Papam haberet Ecclesia*, revera *terras Ecclesiæ recuperaret.* Imo ipsi tyranni, subditi rationi, & in quibus non est extincta *συντήρησις*, dum viderent,

Bonus Papa suas ditiones recuperaret.

rent, *Papam religionem & sanctitatem diligere*, nequaquam contra Ecclesiam insurgerent, nequaquam terras Ecclesiæ reciperent, imo illas, quas haberent, verisimiliter redderent Ecclesiæ.

Mali Papæ ditiones jure distractæ.

Nunc autem, cujus terras recipiunt? Adversus quem pugnant? Certe contra *inimicum fidei Christi*, contra *facientem opera magis Diaboli, quam Dei.* Et ideo non miremini, nec eos Tyrannos nominetis, quod occupent terras Ecclesiæ, & persequantur injustum. Quia executores sunt Dei ad faciendum vindictam in nationibus, & judicium conscriptum.

Qua occasione distrahi cœperint.

Quamdiu enim Papa in bonitate vixit, & in religione stetit, nequaquam terras Ecclesiæ perdidit. Sed cum cœpit *ad se, & pro se, suisq; nepotibus & consanguineis rapere*, trahere & ducere omnia, in duas partes abstracta sunt bona Ecclesiæ. Dilacerata fuit respublica, quæ una fuerat. Et tunc cœpit perire salus, decusque reipublicæ Romanæ.

Ex quibus patet, quod *Papa, ejus Cardinales*, & quidam Pontifices, *rempublicam Romani Imperii miris modis invaserint.*

Imperium Romanũ per Papas debilitatum.

Et *tractu temporis Papa Imperium à Roma secluſit*, ita, ut in Imperio nihil juris aut potestatis reliquerit. Unde subsequenter etiam *alia membra & jura ejusdem Imperii* in eadem Italia paulatim *abstracta* fuerunt. Sicut tyranni eorum terras, villas & castra receperunt. Quia facti sunt opprobrium vicinis suis, subsannatio & illusio his, qui in circuitu eorum sunt, maxime apud illos, qui sunt *in Italia* & prope urbem Romanam, qui melius noverunt eorum malitias, & nefanda facta, quam *ultramontani*, apud quos non est eorum perversitas adhuc plene detecta.

Exile Ecclesiasticorum pretium apud magnates unde?

Et ideo jam temporibus istis Reges, Principes, & Domini seculares modicam reverentiam habent ad Ecclesiam. Et completur dictum *Malachiæ* Prophetæ dicentis, II. Cap. *Vos sacerdotes*, ait Deus, *irritum fecistis pactum meum, scandalizastis plurimos in lege, recessistis de via Domini, propter hoc dedi vos contemtibiles & humiles in omnibus populis.* Et Jer. XIII. *Væ pastoribus, qui pascunt populum meum, vos dispersistis gregem meum, & non visitastis eum, ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum.*

Jam enim visitatur *malitia prælatorum*, jam dantur contemtui & abominationi. Et jam instant tempora periculosa. Ad tantum enim abominatio eorum devenit, ut plerique Reges & Principes seculares conferant beneficia vel conferri faciant, clericos ad carceres ponant, eos censura seculari judicent, jura Ecclesiastica parvi pendant, censuras Ecclesiæ non curent, Ecclesiam in bonis suis, in quantum possunt & valent, deprædentur, & annullent.

Tyrannos apud Papam majoris fieri, quam bonos Principes.

Et quod mirabilius est, hi, qui sunt *majores Tyranni*, & qui magis Ecclesiam impugnant & deprædantur, ac hæreses fovent, & male vivunt, cum preces suas pro aliquo castro obtinendo, vel pro aliquo beneficio habendo, vel pro aliquo Episcopatu obtinendo, pro suis *apud Papam* & Cardinales effundunt, seu ipsis Papæ & Cardinalibus scribunt, eorum *citius* preces *exaudiuntur* & expediuntur, & ad majores honores & divitias, quam cæteri *fideles seculi Principes*, sublimantur.

Ita, ut jam Hierosolyma mater nostra, quæ solebat esse libera, serviat cum filiis suis, & impendat Tyrannis & malignis tributa & obsequia. *Quod* quidem *non recipit Christus*, *suscipit fiscus.* Jam solet Regibus & Principibus servire, quæ solebat Imperatorum & Regum cervicibus imperare.

Quod non capit Christus, rapit fiscus.

Quibus detur aurum Papale.

Et quicquid potest Papa *per tales Simonias* exquirere, *pessimis viris*, sc. Dei & sanctorum suorum æmulis, *stipendiariis* potissimum *Italicis*, pro conservando Ecclesiæ Romanæ temporali dominio elargitur. Quod facit *servili timore*, quo timet magis perdere homines, quam Deum, quo magis timet illos, qui solum corpus possunt occidere, quam eum, qui corpus & animam potest mittere in gehennam. Et quia Deum non invocaverunt, nec cognoverunt, & illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor: Ideo contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt, nec est timor Dei ante oculos eorum.

Timor Papæ.

Nostri enim *temporis Papa* cum suis Cardi-

Johannis XXIII. modus beneficia sacra dispensandi, adulando.

Cardinalibus, *spreto timore Dei & amore*, potius volent Principibus, Regibus & aliis potentibus complacere in beneficiis, in Episcopatibus, & in suis supplicationibus, quantumcunque sint injustæ, quàm velint Deo complacere, quàm velint sequi regulas justitiæ, quàm velint executioni demandare sancta statuta primitivæ Ecclesiæ. Ideo Deus omnipotens judex justus noster arcum contra tales vibrabit, ossaque eorum dissipabit, qui hominibus placent & non Deo. Confundentur, quoniam Deus sprevit eos.

Caput XXVIII.

De titulo Papali, Servus Servorum Dei, magnaque dominandi libidine.

Quomodo enim *servus servorum Dei* est *Papa* in terris, qui Principibus & Regibus vult citius *complacere & tyrannis*, quam Deo & ejus sanctis & Angelis? Cum tamen dicat Apostolus: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.*

Titulus papalis, servo servorũ Dei, notatus.

Iterum ex parte alia, quomodo in bullis suis Papa videtur dicere veritatem, cum in prima linea bullarum & literarum suarum videtur inferre falsum dicendo: *Johannes Episcopus, servus servorum Dei.* Nam si servus servorum Dei esset, utique pauperibus & Dei servis obediret ac serviret, vel per se vel alios, aut saltem operibus misericordiæ eis provideret.

Eleemosinas olim parcio dispensatas in curia Ro.

Sed *ubi est charitas in* Papa? Vix poteris pauperem petentem eleemosynam ad pœnitentiã suam, vel servum Dei coram ipso aliquando videre, qui aliquam eleemosynam vel charitatem in ejus palatio reciperet, vel aliquam consolationem seu audientiam Papalem se speraret habere. Bene videbis *purpuratos, bene vestitos, sacmannos, tyrannos* & *soldatos* ad eum intrare: Sed nequaquam pauperes, male indutos, & virtuosos, literatos, ac conscientiosos ad eum ingressum habere, nisi casu, vel raro.

Quos audierit Johannes 23.

Quid fuerit Papato ante Conc. Const.

Et unde hoc? Quia jam non est *papatus* Deo militans, sed *negotiis secularibus se implicans.* Imò jam non est servus servorum Dei, sed verius, si vellet, *Johannes Episcopus Dominus Dominorum.* Quia præsumit dicere, esse *tantam suam potestatem, quantam Christus habuit, secundum quod Deus, & secundum quod homo.* Nam Christus secundum quod Deus, habuit potestatem *in cœlo*, quàm semper habuit ut filius Dei: Habet etiam potestatem *in terra*, secundum quod homo. Et ideo dixit: *Data est mihi potestas in cœlo & in terra*, in cœlo per glorificationem, in terra per redemtionem.

Arrogantia Papæ Johan. 23.

Potestatẽ Christi in cœlo Papæ non esse datam.

Verum *potestas* ipsi *Papæ non est attributa*, ut fuit *Christi*, secundum quod *filius Dei.* Quia illa est impossibilis illi committi: Cum nulla creatura aliam possit beatificare, nec gratiam aut gloriam ipsi præbere.

Potestatẽ Christi in terra Papæ non esse datam.

Nec potestas ut *hominis Christi ei est attributa.* Quia nulla creatura redemtionem naturæ humanæ potuit perage-re secundum Anshelmum.

Potestas Papæ, spiritualium denunciatoria.

Ergo ipsi *Papæ non est attributa potestas illa, quam ipsi Papæ credunt, in cœlo & in terra.* Sed solum est ei data *potestas spiritualium denunciatoria* ac *absolutoria. Denunciatoria*: Nam quem absolvit, ostendit esse absolutum in Ecclesia: Quem ligat, in Ecclesia militante ostendit esse ligatum. Et ista est sententia omnium doctorum Theologorum. Quod patet. Nam *Papa non remittit peccata, sed solus Deus* est ille, qui delet iniquitates. Sed bene absolvit, h.e. *absolutum ostendit.* Sicut Lazarus primo fuit à morte per Christum resuscitatus, & postea per discipulos solutus. Ideo Christus dixit illis leprosis: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Nam quos ipsi *absolutos ostendunt*, militans Ecclesia pro absolutis recipit. Secus autem de Ecclesia triumphante, quando clavis Papæ errat.

Papa non remittit peccata sed Deus.

Sed ponamus, quod Papa non *curet* de ista expositione, quæ tamen veris-

Eminentiſsima Papæ poteſtas.

ſima eſt, & rationis ſecutiva: Sed dicat: Certe *poteſtatem habeo in cœlo & in terra*, in *purgatorio*, in *paradyſo*, & de plenitudine poteſtatis meæ poſſum facere, quod mihi libet, & nullus debet eſſe, qui dicat: Cur hoc facis? Revera tunc *Papa non deberet mentiri in literis ſuis*, dicendo: *ſervus ſervorum Dei*, ſed, *Dominus Dominorum mundi.*

Mentiri Papam in titulo.

Gregorii M. humilitas in papatu ſuo.

Ipſe tamen *Gregorius* ſanctus & *Magnus*, *qui primo ſic ſcripſit*, vere ſic potuit ſcribere, quia ſervus ſervorum erat, omni die pauperes & famelicos reficiebat, nomina pauperum totius provinciæ in ſcriptis habebat, & opera Chriſti indeſinenter agebat, beneficia Chriſti virtuoſis conferebat, & re pauper erat, Evangelia etiam Chriſti clero & populo exponebat, libros plurimos pro corroboratione & augmento catholicæ fidei ſedulo conſcribebat, ſanctos Epiſcopos ad magnam Britanniam, quæ nunc vocatur Anglia, & alia diverſa loca mundi, pro converſione infidelium dirigebat, *Imperatores ſui temporis reverebatur & honorabat*, & ſua oratione ad Dominum Romanum populum à peſte ingvinaria liberabat, & alia multa pia opera usque ad ejus vitæ terminum exercebat. Hic exemplo præcognoſcens, ſe receptum iri in Papam, fugit, & in latibulo ſtetit per triennium, antequam divinitus, quod ibi lateret, populus cognoſcebat.

Sed *non ſic fit hodie.* Imo quilibet, quantumcunque etiam impotens ad regendum papatum, ſi vacaret, ex eisdem Cardinalibus ad illum ſtatum eligi vellet.

Gregoriũ M. nemi-nem velle ſequi.

Caput XXIX.

De ominoſo Papæ ſigillo, in quo duo capita, Pauli & Petri.

Pauli & Petri capita in ſigillo Papæ.

ITem aliud notandum, & quaſi *miraculoſe appoſitum* videbis in literis Apoſtolicis. Sunt enim ibi *duo capita.* Et *primum* eſt *Pauli*, qui tamen nunquam fuit Papa, nec Epiſcopus, ipſo dicente: Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus. *Secundum* vero eſt *Petri*, qui fuit Papa & Apoſtolus.

Scientiã in Papa magis requiri quã potentiã.

Doctrinã à Chriſto ſæpe commendatã Petro.

Ad denotandum, quod tam neceſſaria ſit clavis *ſcientiæ*, & magis quam *potentiæ.* Cum Chriſtus *illam* ſæpius replicaverit Apoſtolis, dicens: *Ite per mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et iterum: *Ecce ego mitto vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini.* Et iterum: *Qui docuerit ſic homines, minimus vocabitur, ſed qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur.* Et iterum: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Et tantum ſemel Chriſtus dixit Petro: *Quodcunque ligaveris &c.*

Poteſtatẽ ſemel.

Verum eſt tamen, quod poſt reſurrectionem ei dixit ter. Bis tantum: *Paſce agnos meos*, & tertio, *paſce oves meas.* Etſ ubconditione tamen dixit: *Simon diligis me?* Cui reſpondit Petrus: *Tu ſcis Domine, quod amem te.* Et Chriſtus dixit: *Si ergo diligis me, paſce oves meas.* Cum ergo probatio dilectionis exhibitio ſit operis, videtur, quod *qui non diligit Chriſtum, oves Chriſti paſcere non valeat.* Sed cum dilectio Chriſti per opera manifeſtetur, neſcio, quomodo paſcat oves Chriſti, aut quomodo habeat claves Chriſti, qui *opera* facit *notoria Diaboli*, dicente Hieronymo. (Di. XL. can. 1. 2.) Quod illi, ſcilicet Petro, conceſſum eſt *propter actuum lucem* i. e. propter bonam & ſanctam vitã ſuam, qui toti mundo lucebat. Quia de ipſo legitur: *In plateis ponebantur infirmi in lectulis, ut veniente Petro ſaltem umbra illius umbraret quemque illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Scilicet ſigna auxilio Dei facere ad illos ſolum pertinet, *quos ſanctæ converſationis ſplendor illuſtrat.*

Sub conditione amoris Petro datum à Chriſto munus.

Canon in Decretis de Petro explicatus.

Splendor ſanctæ converſationis quis ſit?

Splendor autem *ſanctæ converſationis non eſt in dignitatibus*, potentiis, & honoribus. Quia multos potentes, multos divites videmus male converſari & peſſimos eſſe. Nam *tales dignitates com-*

muni-

municantur bonis & malis. Sed solum *splendor sanctæ conversationis consistit in virtutibus* & in moribus sanctis, dicente Christo Apostolis: *Vos estis lux mundi, & sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.*

Glossa ordinaria canonis superioris correcta.

Glossa ergo *decreti*, quæ aliter ibi exponit, est *mendosa, falsa & hæretica.*

Papæ genuina munia.

Sicut ergo *ad Papam pertinet præcipere, corrigere, sacramenta ministrare*, ita primo & principalius ad eum pertinet, *prædicare verbum Dei*, ut alter sanctus Gregorius *populo exponere, fidem Christi defensare, hæreticos impugnare, & ad omne bonum opus intendere.*

Papa studii Theologici imperitus.

Sed quomodo *clave potentiæ* poterit ille ligare, & solvere, *qui nunquam studio sacræ Theologiæ vel scientiæ divinæ voluit intendere*, nec unquam novit prædicare verbum Dei. Quomodo inter lepram & lepram hic poterit discernere? Certe nequaquam. Ergo oportet, ut primò *clave scientiæ* vigeat, & post *clave potentiæ* floreat.

Arma non data Papæ.

Quod etiam patet ex alio. *Non* enim *Christus elegit potentem in armis, ut esset Papa* in Ecclesia ad hoc, ut defenderet temporalia. Quia Christus non intendebat facere Ecclesiam temporalem, sed perpetuam & spiritualem. *Non fecit papam bonum reparatorem, agricolam*, aut *bonorum temporalium defensorem*: Quia regnum ejus non erat de hoc mundo, ut superius tactum est: Nec venerat ad sanandum languores corporum, sed animarum: Non venerat reparare castra materialia aut lapidea, sed templa Dei, quæ ipse ad suam imaginem formaverat, spiritualia & in æternum duratura, ipso dicente: *Ad hoc enim sum natus, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*; Et, *Non veni vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam*: Et, *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel.*

Exemplo Christi.

Petrus inermis factus Apostolus.

Nam si defendere armis Ecclesiam sanctam, quam ipse fundavit, voluisset, nequaquam *Petrum Piscatorem* in Principem Apostolorum elegisset, sed *fortiorem militem aut soldatum*, quem reperire potuisset, principem Ecclesiæ constitutuisset. Tamen nequaquam hoc voluit facere. Imò Petrum dum vocaret & Andream fratrem ejus, dixit: *Venite post me, faciam vos piscatores hominum.* Non enim dixit: *Faciam, vos fieri invasores & interfectores ac spoliatores hominum.* Et iterum ei dixit Christus: *Pasce oves meas*, & non dixit: *Coërce, corripe, degrada, interfice, deprædare, dilacera, dispergere oves meas.*

Petrus non ad arma vocatus.

Apostoli non vocati ad temporalium curam.

Etiam, si bonum *reparatorem temporalium* habere voluisset, meliorem *rusticum*, qui melius scivisset in agris excolendis, in vineis plantandis, aut *domificatorem*, qui melius domos erigere, castra fundare, muros facere potuisset, forsan elegisset.

Papa sit summe literatus.

Nec mirum, quod *in Papa requiratur, ut sit summe literatus.* Nam si ad *Imperatorem Romanum*, ad instructionem catholicæ fidei laborantem pertineat, ut summatim noverit, quid in catholicis approbet aut confirmet, & plura, nec non in hæreticis, quid reprobet, puniat, aut exstirpet: Multo fortius hæc requiruntur in *Papa.*

Virtute & scientia Ecclesia gubernanda.

Quia Christus *Ecclesiam* suam sanctam *duobus generibus hominum duxit committendam*, gubernandam & regendam, scilicet *sanctis & virtuosis, prudentibus & literatis.* Quod notatur per hoc, quod primo *Apostolos*, qui primi fuerunt post eum patres, *decoravit sanctitate & charitate*, dum Spiritum sanctum in eos inflavit, & dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.* Sed quia Apostoli non debebant sibi ipsis vivere, sed totum mundum ad fidem Christi reducere, quod facere non poterant sola devotione & sanctitate, cum ipsi deberent pro injustitia agonizare & usque ad mortem stare pro veritate: Ideo in *die Pentecostes factus est repente de cœlo sonus, seditq; super singulos Apostolorum Spiritus S. & apparuerunt illis dispertitæ linguæ, & loquebantur variis linguis, prout Spiritus S. dabat eloqui illis*: Et tunc fuerunt illuminati & pleni scientia ad defensionem fidei.

Papæ genuina officia.

Et ideo hanc *clavem scientiæ*, ut dixi, debet habere *Papa* cum clave potentiæ de necessitate, ut *sciat omni poscenti ipsum de fide rationem reddere*, & *doceat in fide virtutem*, & *in virtute abstinentiam, & in ab-*

in abstinentia pietatem, timorem Domini, secundum Apostolum, & *prædicet verbum Dei oportune & importune, obsecret & arguat, ac increpet in omni patientia & doctrina.* Aliàs vere si cœcus cœco ducatum præstabit, ambo in foveam cadunt.

Prælatos ignorantes esse pura entia sine scientia.

Et ideo credo, quod, ex quo venerunt *Prælati ignorantes*, qui non sunt nisi quasi *pura entia, sine virtutibus & scientia*, ad regendum Dei Ecclesiam: Tunc primo invaluerint hæreses & schismata, & Dei Ecclesia in omnibus ordinationibus suis & religione sit & fuerit confusa & divisa. Et ita dixit Esaias Propheta: *Propterea ductus est captivus populus meus, quia non habuit scientiam, nobiles ejus interierunt fame, populus ejus sitiit exaruit.* Et ideò ait sapiens: *Os prudentis quæritur in Ecclesia.* Et in Daniele scribitur: *Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, &, qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ æternæ perpetuitatis.*

Damna ex illis nata.

Caput XXX.

Summa capita Reformationis, in Concilio Constantiensi suscipiendæ.

Conc. convocandũ per Principes.

EX quibus omnibus luce clarius constat, quæ superius diximus, quod *futurum Concilium* omnimode debeat congregari & ordinari per Principes, sive seculares, sive Ecclesiasticos Prælatos.

Ecclesiæ membra reduniendæ.

Et ante omnia fiat reincorporatio & reintegratio membrorum universalis Ecclesiæ.

Unum bonũ Papã eligendũ.

Et secundario fiat *unus pastor*, universalis & indubitatus, ab omnibus approbatus & certus, *vitæ laudabilis, honestæque conversationis*, modo quo dixi.

Potestatẽ Papalem restringendam.

Postea fiat ejusdem pastoris suæ *potestatis*, quæ nimia est, & multum diminuit & privavit jura aliorum Prælatorum, quædam *limitatio & moderatio.*

Primæ Eccl. consuetudines bonas revocandas.

Quarto autem *jurium antiquorum*, & decretorum ac consuetudinum antiquarum *primitivæ Ecclesiæ* fiat *reformatio & innovatio.*

Papam & Cardinales legibus obligandos.

Quinto fiant *statuta* talia & *ordinationes* tam *circa Papam* quam ejus *Cardinales*, ut amplius in posterum non valeant schismata esse, nec asurgere.

Sexto provideatur monasteriis & Ecclesiis, ac beneficiis curatis: Ut *nullatenus dentur in commendam aliquibus Cardinalibus*, seu aliquibus Prælatis, nisi adeò essent pauperes, ut in eisdem personaliter residerent, sicut curati rectores.

Ecclesias Cardinalibus subtrahendas.

Septimo destruantur *abusiones*, imo *violentiæ, manifestæ rapinæ & extorsiones cameræ Apostolicæ*, & ejus *pestiferæ constitutiones, censuræ & excommunicationes ac privationes.*

Pecuniarias Papæ constitutiones abolendas.

Octavo revocentur commendæ, incorporationes & uniones Ecclesiarum, cæteraque tempore schismatis facta contra Deum & conscientiam, & monasteriorum erectiones in Ecclesias parochiales, ac rapacitas duorum seu trium beneficiorum incompatibilium, sub prætextu dispensationum.

Ecclesias singulas restituendas.

Et provideatur *universitatibus* Studiorum, ne de facili in eis promoveantur Doctores & Magistri.

Gradũ Academicos esse moderandos.

Et omnibus aliis talis diligentia adhibeatur, ut Deus glorificetur, Ecclesia universalis sancta pacificetur, & totus mundus ac Christianitas salvetur, ad honorem & laudem ejus, qui cum Patre & Spiritu S. regnat & vivit benedictus in seculorum secula. Amen.

Gloriam Dei & pacem Eccl. ab omnibũ esse promovendã.

COM-

COMMENTATIUNCULA
De Emendationis Ecclesiasticæ, à *Getsono* desideratæ, publicis olim satis in GERMANIA sub *Sigismundo, Alberto, Friderico III.* & *Maximiliano*, Imperatoribus.

CAPUT I.
De Consiliis Gersonianis, in GERMANOS *transferendam esse Emendationis Ecclesiasticæ operam, & per* ROMANORUM IMPERATOREM *conficiendam.*

GErsonis, *Academiæ Parisiensis Cancellarii*, impensum *pro emendanda Ecclesia studium*, non duntaxat ex toto vitæ ejus ambitu, supra *Parte IV.* descripto, abunde constat, sed & ex *præsenti* ejus memorabili *monumento, proxime ante Constantiense Concilium edito*, clare elucet.

Neque verò privatum hunc fuisse affectum crediderit, qui meminerit, & *Regis* & *totius Galliæ eundem* fuisse *animum*. Quod desiderium nec *Galliæ* duntaxat limitibus tunc circumscriptum, sed *per universam* quoque *Germaniam* & *vicina regna* diffusum.

Cujus *publici desiderii* pertinacia & *constantia*, sex quidem & pluribus Conciliis magnis pro universalibus habitis *exercita*, nulla adversitate frangi aut debilitari potuit. Nec enim *Pisanum* A. 1409, satisfecit, nec *Romanum* respondit A. 1412. Nec *Constantiense* plane effecit A. 1415. Nec *Papiense* & *Senense* implevit A. 1423. nec *Basileense* prorsus absolvit A. 1431.

Sane, ex quo *Bonifacius IX.* in Italia & *Benedictus XIII.* in Gallia agentes, proxime ante Concilii Pisani fata, convasando auro nimium quantum essent intenti, cum detrimento virtutis ac religionis in ordine Ecclesiastico & civili, judice *Gersono, sup. c. 25. fol.* 130. *Galli* præ ceteris, *publice* de hac Ecclesiæ calamitate *conquesti*. Quod vel ex scriptis superioribus, *Nicolai Clemangii*, & nostri *Gersonis*, utriusque Galli, satis abundeque patet.

Hinc maturo consilio Rex Galliæ, cum Benedicto obediendum amplius esse pernegasset, *Arrestum* seu Decretum *Curiæ Parlamenti Parisiensis* A. 1406. d. 11. Sept. publicari jussit, *De Annatis non amplius solvendis.*

Grave hoc edictum CAROLUS VI. *Francorum Rex*, solennissime opposuit *Benedicti Papæ XIII.* in Gallia agentis durissimis *annatarum exactionibus*, quibus exemplo Bonifacii IX. in Italia tunc dominantis, & hic Galliam pressit. *Exactiones Papales in Gallia.*

Rex primùm memorat, *Prælatos regni* & Delphinatus, ut & *Academiæ Parisiensis*, graviter *conquestos* apud Se in Curia Regia fuisse de *duris* & *iniquis exactionibus*, ut & *oneribus gravissimis*, Ecclesiis Gallicis *à Benedicto XIII* & *antecessoribus pontificibus* injustissime impositis. Quibus sic essent *oneratæ*, ut *exhaustæ* jacerent, nisi remedi- *Querela Gallorum de exactionum papalium onere.*

medium Rex adhiberet. In *detrimentum* etiam *reipublicæ* & irreparabile damnum regni *exportari* illas *opes*.

Preces Gallorum pro levandis illis oneribus.

Rogavisse igitur Regni primates, *exactiones* illas *Pontificis* & *Ecclesiarum onera* ab Ecclesiis Rex amoliretur. Ut officium suum facere possent Ecclesiarum ministri, opibus omnibus non exuti, & templa conservarentur aut resuscitarentur.

Consultatio Regis hac de re frequens.

Commendatum igitur fertur hoc negotium à Rege *Consilio* ejus *magno*. Inter quos illa de re consultum: Istaque *Deliberatio* ad Regem delata.

Verùm *Prælatis* & *Academiæ* visum, largiori opus esse declaratione. Exhibita igitur à Sanctiori Senatu hoc fine Regi & Parlamento *Deliberationis*, super illa re institutæ, *declaratio*.

Constituti proinde in Curia Parisiensi *Procuratores*, tum generalis, tum patrui Regis, Ducis Bituricensis, tum universitas Parisiensis, causam suam agens.

Statuum Galliæ decretum, de Ecclesia liberanda & libertati asserenda per Regẽ.

Ab his decretum: Uti *Deus omnia pondere, numero & mensura* moderetur, singulas creaturas conservans: Ita & *in regimine* quolibet *proportionem decentem ubique esse observandam*, ne aliquibus abundantibus, alii necessariis destituantur. *Benedictum* verò *Pontificem neque modum, neque pondus, neque mensuram in Ecclesia & membris ejus observare.* Quippe qui *jugo & servitute dura* illos premat, *à* nonnullis *defunctorum successoribus spolia* auferat, ab aliis prælaturarum & beneficiorum Ecclesiasticorum *vacantias* extorqueat, *annatas* expetat & percipiat, *indebitos fructus* postulet, aliis *iniquis exactionibus* Ecclesiasticos infestet, *contra jura Christianorum ac Ethnicorum*, inter quos clerus ab omni servitute immunis semper extiterit.

Benedicti exactiones damnatæ.

Papã ministrũ non dominum esse Eccles.

Principem secularem tyrannum auditurum & suæ reipublicæ hostem, qui *annatas* extorquere tentaret. Multo minus *Benedictum Pontificem* tolerandum, qui, *minister, non dominus Ecclesiæ*, primarum annatarum fructus sibi tyrannice vindicaret.

Samuelis sinceritatem à Benedicto fuisse alienam.

Benedictum illum *parvi pendere Samuelis sinceritatem*, sic populum alloquentis: *Pronunciate de me coram Domino & coram uncto ejus, num qvem alicujus vel asinum rapuerim, num quempiam calumniatus sim, num quemquam oppresserim, num à quoquam munus acceperim: Restituam.* Cui responsum: *Non es calumniatus neque oppressisti nos, neque accepisti aliquid de manu cujuspiam.* Hoc Samuelis exemplum fuisse *Benedicto* imitandum, qui suis contentus ab *exactione tyrannica* abstinere debuisset.

Modestiã Pauli à Benedicto exulasse.

Exemplum etiam *Pauli* ab eo fuisse observandum, qui in Actis dicit: *Argentum & aurum nullius concupivi, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.*

Auguria Apostolorũ ac Prophetarum de antisti-

Apostolum verò notanter futura *Ecclesiæ fata* prædixisse, quando scripserit: *Scio, post discessum meum subrepturos vobis lupos rapaces, gregi non parcentes.* *Ezechielem* idem prænunciasse: *Facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ devorantur, cum non sit pastor. Neque enim quærunt pastores gregem meum;*

Sed

Sed pascunt pastores semetipsos, & greges meos non pascunt.

Cui malo junctum à Deo remedium: *Propterea cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meum, & liberabo gregem meum ab ore eorum, ut ab eis non amplius devoretur.* *Ecclesiasticos malos pœnas daturos.*

Hanc prophetiam quadrare in *Benedictum Pontificem*, confusa & *inordinata cupiditate* debachantem. *Nullam ei deberi obedientiam,* qui contra jus divinum & humanum pecunias ad Ecclesiæ interitum extorqueat. *Benedictũ ob avaras exactiones plectendũ, obedientiâ illi subtractâ.*

Imitandum esse *Regi Franciæ* exemplum *Regis Joas*, qui *pecuniam, quæ abuterentur sacerdotes* tunc præsentes, *illis eripuerit, & ad templi ædificium adhibuerit.* Quod factum Joas summopere in scriptura laudetur. Quod igitur *Jojada sacerdos* Regi Joas suaserit, idem agere *Doctores* præsentes ac Regi suadere. Incumbere itaque Regi, omni jure adstipulante, idem exequi. Vi juramenti, quo Rex in coronatione se obligasset, eum teneri, prælatis & Ecclesiis suis privilegia & justitiam conservare, & contra oppressores defendere. Maxime, cum per *injustas illas exactiones* fundatores beneficiorum sua fraudentur intentione. *Regem obligatum esse ad vindicãdam Ecclesiæ libertatem.*

Clamantium: Sic Papæ non obediri: Vanas voces esse contemnendas. Cum errent hi falsi rumoris autores. *Non persequi, qui malum jam factum puniat*, aut *ne fiat prohibeat*: Sed amoris hoc esse indicium. *Juste negari Benedicto obedientiam.*

Monuisse igitur memoratur *Academia Parisiensis* Regem suum, qui severè ediceret, *Benedicto* non obsequendum, *neque exactiones illas ei præstandas: Pecuniam à collectoribus & subcollectoribus corrasam & extortam, arresto retinendam.* Patrimonium Ecclesiarum, *per Principes seculares fundatum*, pro autoritate non occupandum, neque dotem illam invadendam esse. *Juste negatã obedientiam esse edicto regio publicandã.*

Licet enim *Constantinus* Ecclesiæ Romanæ sedis præeminentiam, quam expetierant Constantinopolitana & Alexandrina & aliæ, concesserit, & ut Ecclesiasticis officiis suis commode præessent, de vitæ necessariis illis prospexerit: *Non* tamen *exactiones Ecclesiæ* imponi permisisse, nulla præsertim necessitate urgente. *Exactiones papales abolẽdas. Constantini institutio illas repugnare.*

Quod si *Ecclesiæ Romanæ* patrimonium sit direptum, ut eo uti non possit, *rogandas* esse ceteras Ecclesias, quæ *subsidium charitativum* ferant. *Subsidiũ charitativum Papæ precibus nõ esse negandum.*

Atque hoc Ecclesiæ Romanæ concedi posse ac debere, *concilio annuente, moderamine accedente, justa de causa, absque præjudicio,* culpa non præcedente, durante necessitate, *consentientibus principibus*, patronis & aliis prælatis, *non cum gravamine perpetuo & indistincto ceterarum Ecclesiarum.* Sicuti *Benedictus, Pharisæorum more,* qui decimas indifferenter de plantulis, herbis, baccis, & omnis generis fructibus extorquerent, cum gravi compulsione, subsidiis & exactionibus insolitis, *contra Ecclesiarum libertatem*, extorquere sit ausus. *Illius limites. Grandis Benedicti excessus.*

Sic excitatus tandem Rex refertur necessitate, populi clamore, regni ruina, exemplis Theodosii, Honorii, Constantini, Caroli Magni, *Consensit Rex cum Statibus Galliæ, de*

Eccles. liberanda. gni, qui *corruptionibus Ecclesiarum animose iverint obviam.* Hoc subsidium, Ecclesiæ à Rege præstandum, esse: *Benedicto in his excessibus non obedire.* Quod absque peccato futurum.

Novæ statuũ preces, Exactiones papales prohibendas esse.

Sic rogatus iterum Rex, qui interdictis suis inhiberet *Benedicti curatores, ne quis exigeret* in regno Galliæ & Delphinatu *pecunias:* Dein *ut orrasæ* per illos arresto *retinerentur.*

Etsiverò *Benedictus* excepisset: Fas non esse, contra se sic à Gallis procedi, cum in illorum consessu suum non habeat procuratorem: Responsum ab *Universitate Parisiensi:* Nihil hanc Benedicti exceptionem valere. Quandoquidem ordinarium processum Academia non intenderit, sed sibi à curia Parisiensi opem ferri rogaverit. *Benedictum* ab illis non agnosci, *neque potestatem Papalem personæ esse sed Ecclesiæ.* Debuisse *Benedictum* facere, quod Ecclesiæ antistitem deceat, non *in Ecclesiæ præjudicium;* Apostolo monente: *Templum Dei estis vos, & Spiritus Sanctus habitat in vobis: Si quis illud violaverit, disperdet illum Dominus.* Et porro: *Non glorietur quis in hominibus: Omnia enim vestra sunt, sive Cephas, sive Paulus, sive Apollo.* Pecunias per Benedictum exactas, non ad Ecclesiæ usum, sed perniciem cessisse.

Benedicti protestatio refutata. Potestas papalis non personæ sed Ecclesiæ.

Quare *Parisiensis universitas* Regem obsecrasse dicitur, qui *pestilentissimos hos mores Pontificis* penitus aboleret, absque mora. Cum jus gentium jubeat gladium manibus hostis & interfectoris extorquere & vim vi repellere.

Repetitæ preces Academiæ Parisiensis, de corruptione Eccl. per Regẽ abstergẽda.

Sic post longam & maturam *deliberationem conclusum in senatu* nunciat hoc edicto Rex, quod *Benedictus Papa*, & officiales vel curatores ejus, *abstinere* debeant in regno Franciæ & Delphinatu ab *exactionibus annatarum, primorum fructuum, emolumentorum, prælaturarum, & aliorum beneficiorum quorumcunque vacantium, seu quæ vacaverint, aut vacatura sint.* Desistere etiam jubentur Cardinales & Camerarius Collegii à perceptione ejus partis, quam in vacationibus prælaturarum pro primis annatis vel aliàs ante præsens arrestum perceperant.

Decretũ Regis tandẽ publicatum.

Præterea, quæ jam *collecta* & exacta, à collectoribus vel subcollectoribus teneantur, *per arrestum illis eripi mandatur.* Ita, ut simul illis interdicatur, ne quid ejus vel Benedicto vel alii cuipiam deferant aut solvant.

Decernit quoque curia regia illos *ab excommunicatione Pontificis,* quam superiorum occasione sustinuissent, liberos.

Regium hoc est edictum. Quod luci quidem datum erat cum Clemangianis quibusdam in exordio superioris seculi, sed non sine maculis. Repurgatum ergo ab *Edmundo Richerio* in *Historia Conciliorum Generalium Part. II. Cap. I.* Cujus Decreti argumentum hic dare, scopo nostro convenientius judicavimus, & lectori gratius fore censuimus atque fructuosius.

Posthæc *in Pisano Concilio*, triennio abhinc Ao. 1409. remotis sede Benedicto XIII. & Gregorio XII. *expectatum* quidem illius mali *remedium*, *ast frustra.* Electus enim *Alexander V.* qui emendationem antea pollicitus erat, tantum abest correxerit, teste

A. 1409. In Concil. Pisano nil emẽdatũ.

Gerſone, ſup. c. 10. *fol.* 90. ut augeret potius onera, dolente *Gerſone, ſup. c.* 24. *f.* 125.

Alexandro mox defuncto, *Johannes XXIII.* veſtigia ſuperiorum legens, onera Eccleſiæ haud ferenda vehementer cumulavit. *Vid. Gerſon. ſup. c.* 24. Quare effecit Johannes ut diſpicerent Galli, qui *in novo Concilio Univerſali*, Piſis definito, iſthæc creſcentia indies Eccleſiæ damna vel minuerent, vel tollerent atque arcerent.

Alexand. V. onera Eccleſiæ auxit. A. 1410. *Johan.* 23. *eadem magis cumulavit.*

Huc ſpectavit editum ſtatim A. 1410. à *Gerſone De modis uniendi ac reformandi Eccleſiam in Concilio univerſali* ponderoſum opus, ſupra exhibitum, quo ardentiſſima Galliæ vota luculenter exprimeret, & quid in tanta corruptione factu opus, aperte moneret. Præclaro hoc monumento illud præcipue egit Gerſon, ut aperte demonſtraret, in ROMANI IMPERATORIS autoritatem majeſtate radiantem omnem redundare Emendationis Eccleſiaſticæ ſpem. Ab hoc ſummo Imperii Romani capite, *Cæſare* auguſtiſſimo, *Eccleſiæ univerſalis advocato*, unice pendere deſideratam Eccleſiæ ex Reformatione ſalutem. Sine hac ROMANI IMPERATORIS ope irritum fore omne omnium Regum hac in re ardua ſtudium.

Gerſon immanē corruptionem damnavit. Imperatoris jus in emendandam Eccleſiam.

Hoc jus IMPERATORIS in Eccleſiam urſit ac probavit Gerſon multis argumentis, roboravitque priſcorum Imperatorum exemplis. *Vid. Cap. XIV. & XX.* Quod ea Gerſon ſollicitudine demonſtrare ſategit, ut inter alia in hæc erumperet verba, *cap. XIX, fol.* 115. *Romano Imperio non vigente, non florebit Eccleſia.*

Jus Cæſaris probatum.

Quin & dubia ſolvit ſolerriſſime, quæ hoc *juris Cæſarei* exercitium inhibere poſſe videantur. E. g. Si Imperium vacet, quemadmodum cum Gerſon ſcriberet A. 1410. vacabat, Sigismundo nondum electo: Electionem Imperatoris eſſe maturandam, vel in Principes Imperii reliquos onus devolvi, quibus ſuccurrant alii Reges atque Principes exteri. *Cap.* 21. Similiter ſi ſit electus Imperator: Papæ inviſo ac removendo ſeſe juramentis ſolitis obligare Eum non teneri, aut ſi præſtiterit, ſervare ac præſtare non opertere nec debere. *C.* 22.

Dubia ſoluta.

Gerſoniani conſilii pondus, à ROMANORUM IMPERATORE, adeoque à Germanis, deſideratam Eccleſiæ emendationem eſſe expectandam, agnoverunt viri quique doctiſſimi, virtutis ac veritatis ſine affectuum faſcino amantes. *Theodericus* noſter *Vrie*, miſeriæ publicæ itidem miſertus, in *Hiſtoria Concilii Conſtantienſis* frequenter illo tempore monuit, *lib.* 4. *diſt.* 6. *f.* 103. 104. 105. *diſt.* 8. 9. 11. *f.* 111. 113. 115. à SIGISMUNDO ROMANORUM IMPERATORE ſalutem Eccleſiæ eſſe expectandā. Hujus eſſe jus, Concilium convocandi, de corruptione emendanda decernendi, remedia ſuppeditandi, & impedimenta tollendi.

Conſenſus aliorum de hoc jure Imperatoris.

CAPUT II.

De initiis communis Eccleſiaſticæ reformationis, in GERMANIA à SIGISMUNDO IMPERATORE ex voto Gerſonis ſuſceptæ: Quo fine primum in Germania Concilium univerſale *Conſtantiæ congregatum.*

Feliciſſimo fato id ſuo *hoc graviſſimo ſcripto* effecit *Gerſon*, ut ſtatim electus ROMANORUM IMPERATOR SIGISMUNDUS hoc ſibi negotium datum crederet, qui ex conſilio Gerſonis publico ad Concilium Univerſale pro Emendatione Eccleſiæ congregandum cuncta ſapientiſſime inſtrueret. Uſus SIGISMUNDUS ſuo hoc à Gerſone deſignato jure. Monuit extempore Papam Johannem 23. qui ſuo nomine ſynodum œcumenicam convocaret. Qui tametſi reluctari animus eſſet, alio modo Imperatoris nutum ac conſilium eludere ſtuduit, quando A. 1412. Romæ Concilium univerſale indixit, ſed, ut omnes præviderent, inane atque irritum, abſente Imperatore & Principibus Imperii, ceteriſque Regibus eorumve legatis. Quod erat *Gerſonis Concilium*, Imperatorem Romanum debere repudiare concilium à Pontifice in ſua ditione indictum. Quod ibi dicendi facultas non eſſet integra. *Cap. 8. fol. 87. 88.*

Sigism. Imp. ſuo in Eccleſiam emendandam jure uſus eſt.

Quamobrem ſuo juri inhæſurus *Imperator Sigismundus*, aliud Concilium univerſale, & *in Germania* quidem, ſub Imperio Romano, congregandum ſtatuit, ubi de Reformatione Eccleſiæ tanto agi poſſet felicius, quanto ſecurior locus & à poteſtate Papæ remotior.

Concilii in Germania convocandi ſtatuit.

Quod tametſi animadverteret Johannes 23. ægre Conſtantiam *ad Germanos* emigraturus, refragari tamen conſultum non vidit. Conſenſit itaque in Germaniam, quæ Concilio univerſali, ex voluntate Imperatoris, hoſpitium daret commodiſſimum, Reformandæ per Sigismundum Imperatorem Eccleſiæ aptiſſimum.

Conſtantiam Germaniæ definivit.

Hoc ergo CONSTANTIENSE CONCILIUM, IMPERATORIS SIGISMUNDI autoritate in *Germania* & convocatum & ab omnibus injuriis immune præſtitum, immedicabili malo viſum dare aut polliceri remedium.

Spes ex Concilio Conſt.

Urſit certe hoc *in Germania primum Concilium Oecumenicum*, quatuor propemodum annis, impenſe deſideratam illam emendationem Eccleſiaſticam.

Scopus ejus.

Calcaria porro addere *Imperatori* non deſtiterunt, Gerſon, Petrus de Alliaco, aliique viri illuſtres ex omni orbe *in Germania* congregati. Quorum gravia monita, vota preceſque ex MSCtis mox exhibebuntur.

Calcaria.

Delineata tunc in Germania in hac Synodo univerſali publica autoritate præcipua quæſitæ *emendationis momenta*. Conſtitutæ quoque tunc ſub cœlo Germanico *Reformationis Eccleſiaſticæ regulæ*. Quas mox *Tomo hoc I. ex MSCtis* exhibebimus.

Conſtitutiones deſideratæ.

Electus novus Pontifex *Martinus V.* viſus ſtatim, benignâ Germanorum aurâ imbutus, nonnihil emendare, Novis ſuis *Regulis Cancellariæ* pro more editis, iisque ad nutum Imperatoris ac Regum atq; Principum præſentium reſtrictis atque limitatis. Quas *Martini regulas cum reſtrictionibus* ſub Germanico cœlo factis ex *MSCtis* itidem exhibere proxime conſtituimus.

Regulæ Cancellaria reſtrictæ.

CAPUT

CAPUT III.

De primis impedimentis & in Germania *in ipso Constantiensi Concilio Reformationi adornandæ objectis.*

DE cetero solidum effectum in *Concilio Constantiensi* eo statim tempore videre non sustinuit Imperator cum Regibus ac Principibus *in Germania* congregatis. Uti dudum auguratus erat Gerson, hæc fata omnia curate prævidens: Quæ finito etiam Concilio deplorare non intermisit. Vid. *Apologia Gersonis*, Rathembergæ in Suevia A. 1418. scripta. *Theodericus Vrie, lib. 7. dist. 8. f.* 194. non celat Reformationis in Concilio quæsitæ impedimenta. *Nicolaus de Clemangiis* eadem in Concilio obstacula Reformationi objecta indigne tulit ac fuse notavit. Vid. supra *Parte II. cap. IV. fol. 37. seqq.*

Sane, ex quo *Galli* per delegatos suos, in quibus & *Gerson*, in Germania in Constantiensi Synodo effecisse visi, ut, longis Nationum deliberationibus præmissis, onera *Annatarum* memorata abolerentur, *lites* senserunt *haud leves*, quibus totum negotium crederetur turbari atque dissipari. *In Const. Conc. oppugnata Gallorum desideria de annatis tollendis.*

Quapropter *Galli*, ut ex superiori ac sæpius repetito *Gersonis* voto rem cœptam *in Germania* auspiciis *Romanorum Imperatoris* prosequerentur, dubia objecta solvere non destiterunt, qui in ipso hoc Concilio sub Germanorũ cœlo *libellum* mature ediderunt, si non calamo certe ex mente Gersonis adornatum, hoc charactere insignitum: *Apostoli & Responsio, dati per Nationem Gallicanam Dominis cardinalibus &c. appellantibus ab ejusdem Conclusione, voto, deliberatione ac declaratione Constantiæ captis & factis solenniter per eandem: Quod vacantiæ ac minuta servitia nullo jure sint debita: Et de cetero nihil solvent.* Qui libellus in superioris seculi principio cum Clemangianis quibusdam editus, & ab *Ortvvino Gratio* Coloniensi Professore mox *Fasciculo Rerum Expetendarum & Fugiendarum* insertus. Ast cum corruptissime tunc prodiisset, nitidius hæc ævo exhibitus à doctissimo Gallorum pari, à *Petro Pithœo, in* opere *de Libertate Ecclesiæ Gallicanæ, Tom. II. f.* 837. *ac Edmundo Richerio, in Historia Conciliorum Generalium, Libro II. cap. 3. p. 197. seqq.* *Defenderunt Galli in Concilio Germanico Const. sua de annatis abolendis vota.*

Gersonis, ceterorumque Galliæ *in Germania* Legatorum in *Constantiensi concilio* existentium constantia, & infracta pro corruptione isthac tollenda sollicitudo, ut & in superioribus consiliis Gersonianis urgendis ardor, Germanorum in Concilio idem agentium igne inflammatus, rectius constabit, si plenius atque *dilucidius opusculi Gallicani*, sub sudo Germanorum cœlo Constantiæ proditi, dederimus *argumentum.* *Opusculi Gallicani, in Germania in Concilio Principibꝰ exhibiti argumentũ.*

In principio libelli *Constantiæ* exhibiti excusant *Galli* nationem suam, eamque à data scandalo purgant, quod à Pontificis Cameræque Apostolicæ intentione ac desiderio abeant.

Johanni igitur *de Scribanis*, Procuratori & Fiscali, à Camera Apostolica constituto, reliquisque Cardinalibus, & universæ Ro. curiæ

Scopus Concilii Const. curiæ, in Germania inter reliqua Constantiensis Concilii membra congregatæ, *scopum & intentionem Concilii* in memoriam revocant: Fuisse ordinatum, ut deligerentur *ex singulis nationibus* aliqui, qui cum designatis ac delegatis Cardinalibus convenirent, ad definiendum, *quæ reformanda essent in curia Romana, tam in capite, quam in ejus membris.* De *modo* quoque futura mala præcavendi circumspicerent. Quod utrumque inter Nationum deputatos factum.

Reformatio curiæ Ro. in capite & in membris.

Cardinales Annatas propugnarunt. Inter illos deputatos extitisse Cardinales, Pisanum, Cameracensem & Florentinum, qui *materiam Annatarum* & affines moverent, ac tanquam justas ac debitas urgerent, contradicentibus Gallis. Examinatis verò rationibus & juribus divinis & humanis, demonstratum esse, *annatas non esse solvendas.* Eoque collimasse ac consensisse plerosque, votis numeratis, Nationum delegatos, *nec deberi, nec ulterius tolerari oportere.* Cardinales nihilominus noluisse consentire ac concludere, illas non esse solvendas: Sicut & in aliis consensum denegare fuissent soliti.

Nationes eas in Concilio damnarunt.

Annata denuo Constant. damnata. Per alios dein deputatos, qui *enormia curiæ Romanæ facta præterita exigerent*, iisque medendi viam quærerent, conclusum iterum, *annatas tollendas, planeque abolendas*, cum similibus Ecclesiæ oneribus.

Primæ Reservationum Papalium principia à Joh. 22. Principium *debiti dum* excutiunt, *nullo privilegio, consuetudine aut præscriptione, potuisse defendi*, monent. *Reservationem* quandam *temporariam* propter *expeditionem ultramarinam* primò à *Johanne Papa XXII* factam esse. In Anglia in illum usque diem nihil sedi Apostolicæ solvi pro abbatialibus fructibus Abbatiarum vacantium. Sicuti Johannes XXII à reservationibus beneficia Abbatialia exceperat, ut & fructus Episcopales, aliosque.

Limitatæ. Tolerata. Repudiata. Postea *successores Pontifices Romanos* certis temporibus *similes fecisse reservationes*, certis *causis expressis.* Quas clerus, principes, & populus, *aliquo tempore tolerarint;* Tandem, nimium gravatis quibusdam regnis & provinciis, *solvere recusasse*, uti in Anglia & alibi.

Unde concludunt legati Gallorum, *rectè Anglos recusasse, ac recusare:* Quod *desint causæ pristinæ, expeditiones ultramarinæ. Italos, Gallos, Germanos, Anglos*, unitos, *tolerare eas non debere*, urgent.

Præscriptionē esse irritam. Exceptionem *præscriptionis* solvunt: Quod, etsi superioribus temporibus aliquando *diutius* sint *toleratæ ac præstitæ, non* tamen *per decem annos hanc largitionem fuisse continuatam absque protestatione aut contradictione.* Et sic præscriptionem esse irritam.

Gratuitæ Ecclesiarū munera in jus versa. Vacantium, & fructuum primi anni majorum prælaturarum, abbatialium, episcopalium, principium aliud non reperiri, quàm *spontaneam & gratuitam quorundam oblationem*; Eorum nempe, qui in discordia electi ad Abbatialem vel Cathedralem Ecclesiam, re Romæ confecta, obtinuerant. Quale *gratuitum munus* ab Italis *servitium* dictum, à Germanis *propina.* Vocata esse *servitia communia*, quod omnibus in *consistorio publico* distribuerentur. Postea deductam esse hanc largitionem

nem ad *consistorium secretum*, non absque *Simoniæ* suspicione, & turpissimi facinoris specie, etiamsi *consuetudo prætexeretur*. Prohibitum enim esse per canones, ante vel post promotionem ad has dignitates, quidquam *hoc prætextu* dare vel accipere. Præterea *talem largitionem* vel obligationem esse *alienationem*, quam facere non ausit electus talis vel promotus.

Aliam *fraudem* damnant legati Galii, quod dum successu temporis *sponte* certam summam se daturos promiserunt, vel *tertiam partem valoris episcopatus, monasterii, vel dimidiam, vel ultra*, solvere fuerint coacti, juxta *regulas Cancellariæ*, vel promittere, sub *pœna* literarum vel *confirmationis retinendæ*. *Olim munus, tandē debitum.*

Accessisse conqueruntur proxime *novam fraudem* vel injuriam: Quod sub confirmationis retentæ periculo aut pœna compulsi fuerint *se obligare ad id*, prout in *libris Cameræ* foret consignatum, *quod antecessor in monasterio vel Ecclesia illa vel obtulisset, vel spopondisset*. *Obligatio extorta in Camera Apostolica.*

Et hoc quidem fine *diversos in Camera* haberi *libros*, in quibus diversimode notentur solutiones, pro arbitrio vel arte aut dolo officiariorum, qui talibus præsint. Ad experientiam intrepidè provocant Gallorum legati. *Diversi in Camera Ro. libri.*

Nullum verò *talem modum parere consuetudinem, præscriptionem, vel justam causam talia exigendi*, vel & observandi, affirmant legati. (1) Quod spontanea & *gratuita oblatio unius vel & plurium, non gignat consuetudinem*, vel obligationem, ad quam teneantur alii, nisi velint. (2) Quod *jus non* sit *continuum*, cum per successores non sit continuata largitio. (3) Quod aliqui, qui promiserant cum obligatione se soluturos, tandem *recusarint*, tanquam haud debitum, *nec solverint*. (4) Quod nullo statuto, consuetudine, præscriptione vel alio titulo possit probari, *pro collata* aut *confirmata electione* monasterii vel Ecclesiæ cathedralis, vel prælaturæ beneficio *aliquid posse aut debere peti vel exigi*. Hoc enim juxta constitutiones esse *Simoniacum*. (5) Quod non exigantur annatæ per Cameram Apostolicam vel Cardinales ideo quod vacent, sed quod conferant vel *confirment*. Quod *Simoniacum*. (6) Quod nihil percipiant ex tali exactione, nisi *Cardinales præsentes*, cum de jure omnes Cardinales etiam absentes participes esse deberent, si ideo deberentur aut exigerentur munera illa, quia vacant. (7) Quod *usus* talis sit vitiosus, *inhonestus*, mali speciem continens, & *de jure prohibitus*. Ut nulla consuetudo, multo minus præscriptio locum habere possit. *Cogi* quippe *promovendos*, & vi adigi in Curia Romana ad dandum, offerendum, seque obligandum, *ad pretium tantum, quantum antecessores* jactentur *solvisse* aut *promisisse*, sub pœna literarum promotionis retinendarum. *Tales* vero *actus nullam parere consuetudinem* vel *præscriptionem*, cum sint *violenti*. Cui injuriæ, ex literis retentis, junctæ novæ: Dum *absque literis illis non admitti* possint *ad præfecturam* suam, in monasterio vel Ecclesia. *Simoniacum* esse *dum petuntur fructus primi anni*, & solvitur in Curia Romana pecunia pro fructibus colligendis, *solvitur que ante tempus*, & *sæpe ante adeptam possessionem*.

Præscriptio negatur multis rationib. *Gratuitū munus nō parit obligationem.* *Non continuū fuisse munus.* *Multos nō dedisse.* *Pro confirmatione sacra quid expetere, Simoniacū.* *Cogi Candidatos in Curia Ro. ad pretium ab Antecess. datū.* *Primos fructū petere Simoniacum.*

(8) Quod

Exactio ignominiosa.

(8) Quod talis *exactio* sit *ignominiosa Romanæ Curiæ*, dum ex illa, uti ajunt, *rationabilis diffamatoria murmuratio contra Romanam Curiam* oriatur. Romanam curiam *abstinere* debere, vi justitiæ *ab omni specie mali*, adeoque à *turpi* tali *exactione*.

Fulmina papalia contra denegantes annatas esse vana.

Fulmina, & sententias vel censuras contra illos latas, *qui promissas* illas *annatas nolint præstare*, non esse timendas, affirmant, nec absolutione à tali sententia hos indigere. Eò quod illi, se obligantes, versentur in errore intolerabili, qui peccent contra constitutionem *De vitanda Simonia*. Obligationem illam vergere in hæreticam opinionem, quasi sit licitum emere spiritualia, & pro spiritualibus pecuniam vel temporalia pendere.

Præscript. onerosa.

(9) Quod talis *præscriptio*, consuetudo vel privilegium, *Ecclesiis, clero* & *provinciis*, *nimio* foret oneri, quo Ecclesiæ enervarentur.

Perjurii species in annatis.

(10) Quod in tali largitione atque exactione sit *perjurii species*. Quippe dum *Prælatus* quilibet, in Curia ad Monasterium vel Ecclesiam cathedralem promotus, antequam ejus literæ in Curia expediantur, *juret, nihil de juribus monasterii vel Ecclesiæ se velle alienare*. Literas autem in Cancellaria expeditas, bullatasque, nec non regigistratas, in Cancellaria tamdiu servari, donec se iste obliget. *Quæ obligatio* sit clarissima *alienatio*. Ut *promotus* hoc pacto cogatur committere *Simoniam* & *perjurium*.

Ob lucrũ non turpis consvetudo aut præscriptio jactanda.

(11.) Quod superet fidem, Cameram Apostolicam & Cardinales, aliosque, *propter quodcunque lucrum* sive temporale commodum, velle sustinere aut *defendere tantam turpitudinem*, *prætextu cujuscunque consvetudinis*, præscriptionis aut privilegii, quibus includantur labes Simoniæ & clarum perjurium, scandalum, animarumque damnatio.

Abrogandas annatas esse probatur multis rationibus.

Subtracto jure pensionum istarum, & abunde probato, desideratas *annatas nullo modo deberi*: *Abrogari* quoque illas *debere* prorsus, etiamsi superiores causæ non suppeterent, ex incommodis & scandalis inde oriundis fusius porro demonstrant.

Eccles. interitus ex annatis.

(1.) Quod *ad destructionem Ecclesiæ* vergant. *Potestatem* autem *Papæ* datam esse, *non ad destructionem* Ecclesiæ, *sed ædificationem*. Qui *non præsideat propter se*, *sed propter bonum publicum*, & salutem animarum.

Tyrannidem esse.

(2.) Quod sit *tyrannis*. Cum *facultas Papæ* aut Ecclesiæ *non* sit *relicta*, *pro lubitu exactiones imponere Ecclesiis*, aut personis Ecclesiasticis, *cum eorum non sit Dominus*, qui solus Christus: Tales imprimis *exactiones*, *quibus Ecclesia opprimatur*. Unde scandalum, Ecclesiæ querimonia, animarum damnum, *Fraudarique intentionem fundatorum* Ecclesiarum Cathedralium, monasteriorum, aliorumque minorum beneficiorum.

Sic *damna, in totam Ecclesiam* ex inhonesta illa annatarum exactione redundantia, longo catalogo pertexuntur. *Reges*, *Principes & Magnates*, *querelis expilatorum obrui*, *Ecclesias ruere*, *alimenta pauperibus ita subtrahi*, *ministros non sustentari*, *Ecclesias*, *templa, & monasteria non reparari*, *numerum ministrorum verbi minui per dictas intolerabiles exactiones*.

(3.) *Pugna-*

(3.) *Pugnare* annatas *cum commodo reipublicæ. Exhaustis* enim *Ecclesiæ bonis, patriam viribus exui*, ut ad defendendum se contra hostes sit imparata. Cum castra ac munimenta retineri ac defendi non possint ab illis, quibus sunt collata. Neque esse illa debere tributaria, cum sint feudalia aut mere temporalia.

Reipublicæ detrimentum ex annatis.

(4.) Tyrannidem illam augent legati, *exigendi immisericordia* detectâ; qui absque remissione extorquerent, *etiam ab illis, ubi nullæ essent opes.* Exemplum injiciunt *Abbatis Saturnini Tholosani*, qui compulsus ad *obligationem taxæ* indictæ, *quatuor millium & ducentorum florenorum*; qui tamen non esset opum majorum, quàm *reditus ammi quingentorum floreniorum.* Esse nihilominus hunc & alios plures compulsos, per exactores deputatos, ad *impignorationem* terrarum dotalium Ecclesiæ vel monasterii, ad *venditionem* calicum, etiam non conflatorum, librorum, aliorum ornamentorum & Ecclesiæ bonorum.

Immisericordes exactores Papales.

(5.) *Crudelitatem* istam amplius detegunt fatis prælatorum tristibus, inhonestam exactionem excipientibus. Dum *prælati per exactores excommunicati*, per literas, in locis publicis affixas, variis injuriis & contumeliis affecti, diebus sacris & solennibus ludibrio sint omnibus, qui sacra celebrare non audeant. Præterea in eas redigantur angustias, ut *dilatio non nisi trium mensium* detur. *Pro litera & sigillo* relationis sententiæ, *novam pecuniam* trium vel quatuor florenorum cum dimidio seorsim exigi: Ut per annum XX sint floreni: Præterquam quod clericis expendendum ad hanc executionem deputatis, itemque nunciis variis, sine taxæ indictæ imminutione.

Prælati ab exactoribus excommunicati.

Dilatio brevissima indulta.

(6.) *Causas* has esse *bellorum à Pontificibus* magno nisu *susceptorum* ac continuatorum, qui *opibus exactionibus illis conflatis, in bella semper propenderint.* Per humilitatem, inquiunt, sanctimoniam & devotionem solebant jura Ecclesiæ conservari, retineri & acquiri, sine artificiali gladio aut alia violentia.

Bella à Pontificibus gesta.

(7.) Ex prompta illa annatarum solutione, Cameram & Cardinales *doti & patrimonio Ecclesiæ Romanæ parcere* didicisse, ex quibus reditibus ipsis aliàs fuerat vivendum. Hinc remisisse & remittera maximam sæpe debiti summam. Exempla talis iniquæ remissionis, cum damno aliarum gentium, annatis vexatarum, commemorant. Cardinales tunc viventes centum millia Florentinis remisisse & aliis, Regi Apuliæ tributa pro quindecim annis, simileque Marchioni cuidam indultum.

Papas suis sumptibus parsisse, alienis vixisse.

Totius cleri major quæsita erga Cardinales devotio.

Fraudem quoque & callidum Cardinalium consilium, latens sub illis *exterorum exactionibus*, retegunt: *Ut* nempe, Collatione beneficiorum, & ad prælaturas promotione servata, *clerus Cardinales magis vereatur* universus, illos timeat & honoret amplius.

Querelæ Beneficiariorũ, de perditis aut male locatis suis beneficiis sacris.

Sic tandem scandalis auctis, *querelas eorum, qui Ecclesias & Monasteria beneficiis dotassent*, accepissentque, *pro pecunia beneficia impetrari in curia Rom. & Ecclesias ad interitum per exactiones illas vergere*, ad Regem penetrasse memorant. Ita ut *in Parlamento* & Con-

Regis Galliæ decretũ de abrogandis annatis.

Consistorio, re ultro citroq; expensa, clare & solenniter sit *definitum, nullo jure illas deberi*, neque posse à Simonia liberari: Seq; devinctos esse, qui *tales abusus & excessus in suis terris reprimant*, ne iram Dei connivendo in se concitare videantur. Demonstratumq;, *talibus exactionibus regnum opibus privari*, quæ *ad nullam* ab exactoribus *pietatem* applicentur, & *pessimos fructus* gignant. Monitos igitur aliquoties fuisse Pontifices, qui scandalis illis, saluti animarum perniciem parantibus mederentur. Sed parvi fecisse, atque neglexisse.

Decretũ Gallorum elusũ auro Romanorum.

Reg. Galliæ desiderium apud Joh. 23. de annatis abrogãdis

Sic *provisionem* quidem aliquam ea de re à Rege factam esse, sed *artibus Romanis & occultis venditionibus turbatam* & violatam. Donec Rex cum Parlamento, *per* solennes *Legatos*, pro Clero regni & Academia Parisiensi ad Romanam sedem missos, *apud Johannem XXIII. Papam* rem seriò ageret, *exactiones* tales, propter ingentes abusus, *aboleri desiderans. Papa* vero promissis *animum Legatorum lactasse* dicitur, spopondisseque, se annatas prorsus tollere ac abolere velle, ideoque Legatum in Galliam missurum. Spe verò frustratos esse Gallos, nulla secuta mutatione.

Joh. 23. astutia in lactandis legatis regiis.

Novi Regis Galliæ legati ad Concil. Const. pro tollendis annatis.

Etsi igitur Galli per se rem curare, definire ac componere potuissent, mitiori tamen viâ primùm in honorem Ecclesiæ Romanæ electâ, distulisse. Donec *novi Legati* pro Clero Galliæ & Delphinatus *ad* præsens illud *Concilium Constantiense* ablegarentur, qui remedium *in Concilio* illis malis quærerent. *Impeditam iterum* hanc multis modis *causam* queruntur, cum *plus solliciti* fuerint *de quæstu quàm animarum profectu.*

Gloriatio Joh. 23. de auri sui mole.

Cardinalium opes ex Gallia.

Accessisse mox observant calcar novum, quod ad extirpandas exactiones illas pecuniarias magis instigaret Gallos: Quando *Joannes XXIII.* paulo ante adhuc Papa, tunc à sede Romana concilii decreto jam dejectus, *publice* fuerit *gloriatus, se millionem & septingenta millia florenorum auri in diversis locis habere recondita.* Collegium Cardinalium dimidiam omnino summæ partem habuisse, legatis fit verosimile. Cujus auri majorem partem *ex Gallia* haustam conjiciunt. His auditis, principes, clerum & populum sollicitius quærere remedium compulsos nunciant. Cum *magna illa pecuniæ summæ nullum* sit *in Ecclesia consecuta usum.* Subjunguntur igitur adhuc *alia incommoda annatarum exactarum*, quæ abolitionem earum imperent, ex *Simonia* præcipue orta. Sub prætextu nempe & colore solvendi vacantias secundum *taxam antiquam* prætensam, *triplicari* & *quadruplicari taxam*, quod sicut juxta regularem taxam fiat oblatio, sic dari possit totus valor unius vel plurium annorum.

Simonia mala.

Taxã annatarum antiquã valde esse auctam.

Indocti inaurati doctis ere destitutis prælati.

Damnũ literarũ.

Inescati Principes ne contradicerent.

Ex hac *arte Simoniaca* ansam dari *ambitiosis, male moratis, illiteratis, sceleratis, ad pecuniam confugiendi*, qua beneficia redimantur. Sic *repelli literatos, claros* ac *virtutibus insignes*, sed auro destitutos. Ex quo futurum augurantur, ut *studia* tandem *neglecta* jaceant. Ex quo *neglectu bonarum literarum* religioni Christianæ impendeat grande periculum ac detrimentum.

Participes quoque Principes ac Comites interdum factos *pretii ex tali exactione colligendi*, annotant, ne contradicerent, neque clero ul-

lo

do modo assisterent, imò ut per brachium seculare extorqueri ex clero curarent. Præterea majoris fraudis ergo ad extorsionem facilitandam, ultra superiorem exactionis partem *tributa* alia aliquibus *Principibus concessa super clerum*, queruntur.

Gallorum sententia, onera illa esse excutienda.

Ex his aliisque causis Gallicam nationem post maturam deliberationem conclusisse, dicunt legati: *Annatas* illas, sive vacantias, & communia ac minuta dicta servitia, *nullo tempore* vel *continuari* vel per modum tributi aut debiti, monasteriis, Ecclesiis vel personis Ecclesiasticis *imponi* posse aut debere: Sic & *imposita* illa *onera*, exigentibus *non solvenda*, sed *abjicienda*, & *exactoribus resistendum*.

Exceptiones curiæ Ro. in Cõcilio factæ solvuntur.

Dehinc respondent ad exceptiones laudati Fiscalis Romani, *de Scribanis*. Exceptio (1) *Deliberationem* illam Gallorum fuisse *secretam*, non publicam. Respondetur, *In particularibus rebus* id fas esse Gallis æquè ac aliis, sine Concilii detrimento.

Deliberatio secreta in Concilio licita.

Exceptio (2) Rem deliberandam *communicari* prius debere *cum deputatis quatuor nationum*. Respondetur, id factum esse. Et si non, id rei ipsi non officere.

Communicatare cum Nationibus.

Exceptio (3) Esse *Papæ succurrendum ab Ecclesiis inferioribus*, quæ descenderint è Roma. Resp. *Quemlibet Episcopatum certos suos habere debere reditus pro sustentatione Episcopi.* Sicut & *Episcopus Romanus* habeat, quæ sufficerint & sufficere possint, cum aliis, quæ extraordinaria accedant. *Exemplum* afferunt *Apostoli*, qui labore victum sibi quæsiverit, ne nimio videretur oneri illis, quibus prædicaret.

Episcopos habere certos reditus pro sui sustentatione.

Tacitæ exceptioni, *Non sufficere reditus ordinarios Papæ*, respondent: *Requirere* sic Papam debere *subsidium à clero suæ civitatis & diœceseos*, deinde suæ provinciæ, & per modum *subsidii charitativi* temporalis, & non perpetui census; & postea ab aliis Ecclesiis immediate subjectis subsidium benigne implorare. Eoque pacto, *causâ justâ expressâ*, à subditis honeste non iri denegatum.

Reditus ordinarii si Papæ nõ sufficiant, subsidiũ charitativum petendum.

Quod porro jactaverat *Scribanius*, *Ecclesias à Roma originem trahere*, non admittunt Legati Galli. Præcessisse, ajunt, *Ecclesiam Græcam*, in qua Petro sedes primo contigerit *Antiochiæ*, & *Hierosolymitanam*, ubi Jacobus. Has igitur à Romana descendisse pernegant. Interea tamen *Romanam Ecclesiam* agnosci ab omnibus supremam & omnium magistram, propter virtutes & *merita illorum, qui olim illi præfuerint*. Etsi *posteriores antistites Romani* à majoribus longè differant: Cum *ultimæ Ecclesiæ Romanæ non respondeant primis*.

Non omnes Ecclesias à Roma originem trahere.

Romanã Ecclesiã tamẽ esse supremã.

Posteriores Papas Romanos à prioribus differre.

Exceptio (4) Subveniendum esse *Cardinalibus Papæ adjutoribus*. *Resp.* Duplicem esse statum Cardinalium, antiqvum & recentem. Ab antiquo nomen Cardinalium adhuc superesse: Dum *olim* principales dignitates in Collegiatis Ecclesiis in Curia Romana tenuerint, vel fuerint *curati parochialium Ecclesiarum* ejus. Quo sensu *Cardinales* idem ac *principales*. Sicut & in aliis Ecclesiis, ut Ravennatensi &c. quæ principales habeant dignitates, dicantur *Cardinales*, communi nomine. Et ex hac quidem institutione *Cardinalium presbyterorum officium* fuisse, & jure esse, confessiones audire, prædicare, & baptizare. *Episcoporum* vero *Cardinalium*, idem agere in suis diœcesibus.

Cardinaliũ status olim.

Antiquorum Cardinalium humilitas.

Si minus valeant reditus, quàm olim, expensas esse limitandas, vel *peti debere*, ut ipsis provideatur, *modo decenti* & juribus congruo. Illumque *Cardinalium primævum statum* fuisse charitate plenum, humilem & benignum.

Recentiorũ splendor.

Recentiorem illorum statum fuisse assumptum à Constantini ætate, qui imperium occidentale Ecclesiæ Romanæ contulerit. Eum voluisse, Ecclesia Romana haberet senatum, & senatores vestibus, honore & ornatu præfulgerent, qui statum illum repræsentarent.

Cardinales Consiliarii Papæ.

Atque hoc à Cardinalibus præstari ex sententia Innocentii. Eorum officium esse *consulere Principi, Papæ, ut principi secularis.*

Onus Ecclesiæ ex pompa Cardinalium.

Onera huic statui paria cum sustinere non posse Ecclesiam animadverterit Constantinus, aliud dedisse patrimonium & temporalia pro eorum statu. Quod deinde sit auctum.

Si dicatur, illa bona esse occupata, respondent, vel recuperanda, vel *primo* eos contentos esse *statu* oportere, cum *præsens & recentior Ecclesiæ nimis* sit *onerosus:* nec esse necessariam hanc pompam, maximè *cum tanto Ecclesiæ onere.*

Episcopos esse Papæ coadjutores.

Cardinales Papæ esse coadjutores negant. *Episcopos* esse Papæ Coadjutores & *Cardinalibus superiores de jure, Cardinales* verò esse tantum *Papæ consultores.*

Episcopi Cardinalibus superiores.

Episcopos Cardinalibus esse *superiores* probant inde, quod bene meriti Cardinales pro remuneratione promoti sint ad Cathedrales Ecclesias. Deinde, quod Concilium & Ecclesia Cardinalibus olim concesserit xxv familiares, Episcopis vero xxx.

Episcopi à Cardinalibus spreti.

Episcopos igitur à *Cardinalibus jam contemni* ægerrime ferunt, utpote qui per vim Episcopos & alios ex Clero opprimere conentur, & sibi tributarios reddere studeant. *Nec pro quocunque prælato*, addunt, *etiam prono adorante eos in terra, ponerent manum ad capellum, & salutarent eum.*

Episcopos potestatẽ immediate habere à Christo.

Quam *arrogantiam* ex eo porro damnant, quod *Episcopi immediate potestatem & dignitatem à Christo habeant, Cardinales* verò, quoad statum suum novum Senatorium, *ab homine.* Neque Reges vel Principes tam indigne tractare Episcopos, vel tractari permittere, ut eos tractent Cardinales.

Cardinaliũ numerus & pompa limitanda.

Quare consulunt publicè dispicere, ut *certus eorum* constituatur *numerus*, & *pompa* eorum *limitetur*, definiaturque, ut sint tantùm temporales, de quibus in Concilio statuendum, ut, qui bene se gessissent, confirmarentur, qui male, removerentur, & domum mitterentur.

Possessionem exequendarũ annatarũ injuste jactari à Romanis.

Exceptio (5) Papam & Cardinales esse *in possessione* percipiendi à Prælatis annatas, præsertim *in regno Franciæ. Resp.* Negando, *jus* illis unquam competiisse, ullumve percipiendi titulum. Si qui verò percepissent, hoc factum *permissione* ac benigna *tolerantia, quæ semper possit revocari.*

Taxa vacantiarũ quanta olim in Gallia.

Rationem posthæc ineunt annatarum, quas ex Gallia percipiat Papa cum Cardinalibus. *Taxam vacantiarum*, ut describatur in libris Cameræ Apostolicæ, de Ecclesiis Cathedralibus & Abbatiis Galliarum taxatis, ascendere *ad sexcenta nonaginta septem millia septingenta quinquaginta Francorum*, sine prælaturis, quas non taxent, & aliis *inferioribus dignitatibus* & beneficiis, quæ fere *ad tantundem* ascendant.

dant. Quæ summa prima sex annis integraliter solvatur, & singulis annis divisa ascendat ad ducenta millia, prælaturis & aliis minoribus beneficiis junctis. Quem *taxæ excessum* illustrant augmento ex reliquis nationibus hauriendo. *Quod si*, ajunt, *in singulis nationibus tantundem reciperetur & haberetur, ascenderet summa, & esset in universo sex milliones nongenta septuaginta septem millia & quingenti floreni. Quod esset excessivum valde, etiam quando non solveretur, nisi tota in decennio & ultra.*

Cardinales tunc viventes, *in Gallia sex possedisse* notant *Cathedrales Ecclesias*, & alias dignitates aliaq; beneficia. Illis contentos eos oportere esse, sine tanto quæstu vacantiarum. Observant quoque, *Galliam præ aliis nationibus sic gravatam*, Italos, Germanos, Hispanos & Anglos tantundem haud facere. *Gallia olim præ aliis nationibus gravata.*

Exceptio (6) *Communia servitia*, reditus minores, deberi Papæ & Cardinalibus propter servitium, quod communi reipublicæ impendant. *Resp.* Si *Papa justitiam administraret*, & ad ædificationem Ecclesiæ ac salutem animarum regnaret, & *non propter suum commodum*, concedi posse. Cardinales etiam plurimos Ecclesiæ non servire omnino, quin nocere & officere sua negligentia. *Si juste Papa regnaret, concedi nonnulla posse.*

Exceptio (7) Quod sine *vacantiis* illis vivere non possint, cum *patrimonium Ecclesiæ* per schisma & malum regimen Ecclesiæ Romanæ, & præsidium in illa, sit *occupatum. Resp. Allegari propriam turpitudinem. Nec inde jus esse recurrendi ad alios, si sua consumserint.* Cardinales elegisse istos *malos Ecclesiæ Romanæ præsides*, & ex Cardinalibus quidem: & præsumendum esse, elegisse eos meliores. Si igitur illi patrimonium destruxerint aut consumserint, *Cardinales sibi debere imputare.* *Propria culpa dictiones Curiæ exhaustas esse.*

Except. (8) *Vacantiis sublatis* cum *Cardinalibus non suppetat victus*, conclusionem Gallicam de annatis abolendis, levem aut temerariam fuisse. *Resp.* Quod *longa* etiam & matura præcesserit *deliberatio* inter Gallos, *salubriterq;* sit *conclusum*, etsi isti impedire conentur Gallorum decretum.

Except. (9) Decreti Gallici autores *debitores* fuisse *cameræ Apostolicæ. Respond.* Negando, esse illos debitores. Si propter vacantias, quas deberi jactent, debitores appellentur, abunde id refutatum esse, cum *annatæ nullo modo debeantur.* Si ex alia causa debitores vocentur, probare jubent.

Except. (10) Quod *vacante sede Apostolica nihil* sit *innovandum. Resp. Nihil innovari*, sed *quod vitiosum, scandalosum* & indebitum, tale *declarari*, & *ut declaretur peti.* *Consensus aliarum nationum cũ Gallis.*

Except. (11) Gallos decrevisse aut conclusisse *inconsultis aliis nationibus. Resp. Deputatos aliarum nationum consensisse omnino*, annatas de præterito tollendas esse. Scivisse præterea omnes nationes, Gallos ea de re deliberare. Cardinales oppositam suam sententiam & conclusionem aliis nationibus communicasse, & omnibus modis impedivisse, eosque abstraxisse. Deinde *Gallos præ aliis gravatos talibus exactionibus*, adeoque *præ aliis debuisse esse sollicitos.* Probant hoc per ceteras nationes eundo. *Jus conquerendi de Annatis apud Gallos præ aliis.*

In *Anglia* cameram Romanam vel Cardinales nihil percipere, nisi de Episcopatibus, qui perpauci. In certis *Hispaniæ* regnis constitutum esse, ne camera quidquam omnino accipiat. In *Italia*, beneficia, prælaturas, & dignitates, modici esse valoris: Magistratus præterea civiles & civitates prohibere, dum velint, ne quid Camera accipiat.

Florentini privarunt Papam Joh. 23. beneficio ad quinque annos.

Sic *Florentinæ reipublicæ* exemplum memorabile allegant. Illam rempublicam sub Papa Johanne XXIII. Cardinalibus in eorum civitate existentibus, *propter unicum abusum, quem Papa commiserit in conferenda certa Abbatia* in eorum dominio sita, privasse Papam potestate conferendi beneficia in eorundem dominio *ad quinque annos.* Neq; tunc Papam & Cardinales appellasse, & nihilominus hoc ipso perdidisse annatarum fructus.

Germaniæ libertas pristina in admittendis literis Ro.

In *Germania* in certis diœcesibus & provinciis Papam aliquid percipere, in aliis verò nihil. Imò *ne admitti quidem literas Apostolicas, nisi id placeat Episcopis*, qui & *recusent.*

Except. (12) Minis fuisse territos illos, qui cum Gallis deliberare de ista materia vellent. *Resp.* Falsissimum hoc esse, & meras injurias dicentis. Quin potius *Cardinales minis abstraxisse prælatos Gallicos*, eorumque familiares, quo minus libere, quod conscientia dictaret, de illa annatarum materia pronunciarent. Imo *inquisitionis* adversus illos instituendæ *pœnam comminatos* Cardinales. Alios *spe promotionis* à Cardinalibus esse *pellectos*, qui *clamoribus* deliberationem Gallorum impedirent. Dum se impedire non posse senserint, convocasse protonotarios, auditores palatii, scriptores, notarios, cursores & quosvis alios; etiam mechanicos, Romanam curiam sectantes, querelas cum gemitibus coram eis effudisse, quod natio Gallica per se sola destruere contendat statum Papæ & Cardinalium, protonotariorum, Cameræ clericorum, cameræ auditorum, scriptorum, notariorum, advocatorum, cursorum, ceterorumq; curiam Romanam sectantium. Atque ita illos incitasse Romanam curiam, quæ se opponeret, Gallorum decretum de annatis non solvendis everteret, advocatis in subsidium aliis nationibus. Eoq; modo tumultum fere contra Gallos excitatum. Tale quid non tentasse Romanos contra Anglos, quando Rex Angliæ interdixit illas Romanensium exactiones in suo regno. Cum autem nec illo modo *Romanenses*, Cardinales, evertere Gallorum decretum sustinuerint, *appellationes opposuisse* varias. Imò in concionibus publicis sacris, quas ad suos traxerint affectus, in Gallos declamasse.

Cardinales corrupisse Prælatos Gallicos ne annatas impugnarent.

Artes Cardinalium in subvertendis decretis Gallorũ de annatis tollendis.

Romani appellarunt à decretis Gallorũ.

Except. (13) Laudabilem esse consuetudinem ut protectio & *tutela Romanæ curiæ & Cameræ, sede vacante, ad Cardinales* spectet, qui in ista Gallorum conclusione non fuerint quæsiti. *Resp. Consuetudinem illam nullo* nisi putativo *titulo* illos recte allegare. De jure enim illis *prorsus interdictum* esse, *ne Cameræ negotiis se immittant* ullo modo, sede vacante. Quodsi etiam esset consuetudo occulta & ignota, illos omnino non debuisse vocari. *Conclusionem* esse *nationis*, quæ respectu aliarum nationum sit consultiva, quoad concilium querula, quam concilio offerant, cum remedii voto,

Cardinales sede vacante nõ debere Camera Ro. negotiis se ingerere.

Except.

Except. (14) Cardinales *causam* esse *unionis*. *Resp.* Id optandum esse. Hactenus *illos id non præstitisse.* *Cardinales unionē non spectasse in Ecclesia.*

Except. (15) Remotis vacantiis *subversum iri* totum *ordinem clericalem*. *Resp.* *Ex vitioso ordine* sic *confici ordinem pro ejus commodo: Nec peccatorum & scandalorum rationem haberi, dummodo affluat aurum & pecunia.* Ex superioribus porro constare ajunt, ordinem Clericalem non everti sublatis non necessariis illis vacantiis. *Clerum auro metiri ordinem.*

Except. (16) Accusare annatas *Simoniæ* subrepentis, esse, pugnare contra Conciliorum plurium vota. *Resp.* Pernegando, unquam in concilio generali esse constitutum, *ut pecunia redimantur spiritualia* aut beneficia illa, vel prælaturæ. Quin potius jure divino, canonico, civili, & per generalia concilia esse *malas illas artes prohibitas*, quibus & consuetudo damnetur. *Simonia semper damnata.*

Except. (17) Solutionem istarum vacantiarum esse *onus reale*, nec subesse obligationem personalem, cum officium obligetur, non persona. *Resp.* Pugnare hoc cum clara *rei veritate* ipsaque adversæ partis *conscientia*. Manifestum esse, literas promotionis non obtineri, donec sit oblatum, quod petitur ab eo, qui promovendus, seque, monasterium & Ecclesiam obligaverit. Nec alio exigi modo, quàm ut sit obligatio personalis. *Aut jura omnia fallunt*, inquiunt, *aut est personalis.* Quod ex jure realis obligationis fuse demonstrant. Mutata persona remanere onus super Ecclesiam, vel monasterium, itidem negant, nisi quantum per literarum illarum oblationem ad obligationem solutionis compellant, quam antecessor solverit. Sic eos posse exigere totum debitum ab utroque, quando velint. Ostendunt hoc ex *forma obligationis, quam Cardinales in Camera Apostolica servent.* Juvabit integrum exhibuisse *obligationis* talis *exemplum*. Forma igitur obligationis ArchiEpiscopi, Episcopi &c. hæc est: *Annatas esse onus personale.* *Formula obligationis sub Alexandro V. in Camera Romana.*

Vos, Domine Patriarcha, ArchiEpiscope, Episcope, aut Electe, de licentia & autoritate Apostolica, vobis in hac parte concessa, gratis & sponte offertis, dare promittitis & donatis pro vestro cummuni servitio, cameræ sanctissimi in Christo Patris & Domini, Dn. &c. Alexandri Papæ V. & sacro collegio Reverendissimorum in Christo Patrum, Dominorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, videlicet &c. florenos auri de Camera boni & legitimi ponderis, & quinque servitia consueta pro familiaribus & officialibus Domini nostri Papæ & Dominorum Cardinalium prædictorum. Item recognoscitis iisdem, cameræ & collegio ac familiaribus ac officialibus, omnes illas pecuniarum quantitates, in quibus prædicta vestra Ecclesia in libris ipsorum, cameræ & collegii, per aliquorum prædecessorum vestrorum personas obligata est. Quos quidem florenos cum quinque servitiis & recognitis supra dictis promittitis reddere & solvere realiter cum effectu in Romana curia, ubicunque fuerit: Videlicet reverendissimis in Christo Patribus & Dominis, Dominis miseratione divina Henrico, Episcopo Sabiensi, & Amedeo, sanctæ Mariæ novæ Diacono Neapolitano & de Saluciis vulgariter nuncupatis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Francisco, miseratione eadem ArchiEpiscopo Narbonensi, Domini nostri Papæ & sacri Collegii Cardinalium camerario, vel eorum successoribus, vel deputatis ab eis, mediietatem scilicet in festo &c. recognita vero in alio simili festo &c. Quod si debita loco & terminis, dictam florenorum summam, & quinque servitia consueta & recognita supra dicta non solvatis, ut est dictum, promittatis redire ad Romanam curiam infra quatuor menses, post elapsos terminos hujusmodi, vel alterum eorundem immediate sequentem, & coram dictis Dominis Camerariis, seu eorum successoribus aut deputatis ab eis, personaliter comparere, & inde

non decedere, donec per vos fuerit de prædictis integraliter satisfactum. Super hoc obligatis vos vel Ecclesiam vestram, & successores vestros ac omnia bona Ecclesiæ vestræ, mobilia & immobilia, præsentia & futura, ubicunque sint & consistant. Et ut sitis vinculo fortioris obligationis adstricti, submittitis vos, & successores vestros, jurisdictioni & coercitioni dictorum Dominorum Camerariorum & cujuslibet eorum in solidum, ac etiam successorum suorum & deputandorum ab eis. Et de voluntate vestra, qui hoc vultis & petitis, & hanc jurisdictionem in eos porrigitis, præfati Domini Camerarii, & quilibet eorum, eandem jurisdictionem in se suscipientes, & suscipiens in loco, mandatum faciunt & præceptum, ut de re confessata de solvendo dictam florenorum summam, & quinq; servitia, ac recognita supra dicta, de reveniendo ad Romanam curiam, & de non recedendo ab ea absque satisfactione, & quod omnia alia & singula supra dicta efficaciter compleatis & attendatis. Quod si non feceritis, suspensionem ab administratione spiritualium & temporalium dictæ Ecclesiæ, & ab executione Pontificalium, & majoris excommunicationis sententiæ, ex nunc, prout & tunc, in vos canonica monitione præmissa proferunt in his scriptis: Comminantes nihilominus dicti Camerarii, & quilibet eorum, se contra vos, dictum Dominum Patriarcham, ArchiEpiscopum, Episcopum vel Electum, processuros & processurum, absque alia vocatione, sive monitione, ac graviores pœnas ac sententias, spirituales & temporales, & aggravationes earum, prout eis, seu eorum alteri placuerit, seu visum fuerit expedire: Et quod vos denunciabunt, & denunciari facient, per se vel per alium, seu alios, excommunicatum, suspensum, perjurum, & aliis pœnis & sententiis adstrictum, quas propter hoc in vos duxerint proferendas. Et vos, Domine Patriarcha, ArchiEpiscope, Episcope, vel Electe, renunciatis super his omnibus literis, privilegiis indulgentiis, Apostolicis, impetratis vel impetrandis, concessis vel concedendis, quibuscunque, & beneficio appellationis & restitutionis in integrum, ac omni foro, usui, præscriptioni & juri revocandi donum, & omni auxilio juris canonici & civilis, per quod contra præmissa de jure vel de facto venire possetis, vel aliquod præmissorum. Et omnia præmissa juratis ad sancta Dei Evangelia tenere, servare, approbare, & in contrarium non venire, directè vel indirectè, per vos vel alium, vel alios. Si verò ante satisfactionem hujusmodi vos contingat mori, cedere vel transferri, & ille vel illi, qui ad regimen ipsius Ecclesiæ vobis substitutus vel substituti fuerint, infra quatuor menses post substitutionem & dictæ Ecclesiæ possessionem adeptam, de florenis & servitiis & recognitis satisfacere non curaverit, seu curaverint, ex nunc, prout ex tunc, easdem pœnas & sententias in eosdem substitutos, & eorum quemlibet, infligunt & proferunt in his scriptis, prout dictum est & narratum, autoritate dictorum dominorum meorum Cardinalium, & Nostrâ proferimus in his scriptis, & vos, Dominum Patriarcham, Archiepiscopum, Episcopum vel Electum, volentem, petentem & requirentem, ad prædicta recitata, condemnamus. Et nihilominus monemus vos semel, secundo, tertio, & peremtorie, ac sub excommunicationis pœna, ut prædicta adimpleatis, attendatis & observetis. Alioquin excommunicationis sententiam in vos proferimus in his scriptis. Et vos, domine Patriarcha, ArchiEpiscope, Episcope vel Electe, vultis, quod per nos clericos vel notarios camera, qui fuimus hic præsentes, de præmissis omnibus & singulis fiant unum vel plura publica instrumenta.

Formula hac obligationis à Gallis repudiata Christianismus promovetur sublatis causis peccandi.

Ex qua & similibus *obligationum formulis* iterum colligunt Legati *onus* illud non reale, sed *personale* esse. *Rejiciuntq;* penitus *formulam* & *rem*, utpote cujus obligationis copiam dare vereantur ipsi Romanenses.

Except. (18) Convenisse inter Regem Romanum, & Petrum de Luna, nihil esse innovandum, cum unio Ecclesiæ sic turbari posset: *Ex abrogatis annatis totius Christianismi oriturum contemptum. Resp.* Invertendo: *Hoc* demum *esse Christianismum promovere, si removeatur causa, occasio & materia peccandi, scandalorum, ruinæ Ecclesiarum, opprimendi personas Ecclesiasticas, fundatores denique & beneficiarios fraudandi,*

dandi, opera pietatis impediendi & justitiam lædendi. Neque hanc esse innovationem contra promissum vel conventionem, utpote male fundatam. De *Petro de Luna* spem esse pertenuem, qui volens boni aliquid faciat. Esseq; ab eo omnino recedendum.

Quibus omnibus confectis postremo omnem *appellationem Romanensium* hac in re *repudiant.* Promittuntq; nomine Gallicæ nationis, se & aliis opponentibus, omniumque argumentis exacte responsuros, si prodeant. Præsentem verò suam responsionem Cardinalibus solennissime offerunt, Conciliumque Constantiense enixe rogant, nomine totius Nationis Gallicæ universique cleri, *Conclusionem* hanc *Gallorum de Annatis non solvendis*, serio tueantur & defendant.

Ex his Gallorum cum Romanis in Concilio contentionibus *de oneribus Ecclesiæ levandis* satis superque elucescit, quam difficile hoc & in Germania per Romanos extiterit negotium. Præterquam autem quod acriter repugnantem Curiam Romanam in Concilio in Germania præsentem animadverterent Galli & Germani, experti quoque non sine dolore sunt, differri subito à novo Pontifice *Martino V.* in Germania Constantiæ creato, omnem Reformationem desideratam, ac in Italiam pertrahi in Concilium Papiense, proxime secuturum. *Difficile Reformationis negotium in Germania.*

Quæ omnia ex *Actis*, ordine suo loco à nobis ope *MSCtorum* exhibendis, luculenter patebunt.

CAPUT VI.

De EBERHARDI ArchiEpiscopi Salzburgensis Provinciali Concilio, pro reformandis moribus in suis Ecclesiis, A. 1420.

INterfuerat Concilio Constantiensi, reformandis Ecclesiæ moribus sacro, inter alios Germaniæ Principes & EBERHARDUS, *Salzburgensis ArchiEpiscopus, Ro. sedis Legatus.* Magnus hujus Principis pro Ecclesia ejusque salute zelus. Ut feliciter negotia sacra in Concilio succederent, pietas & devotio suaserunt, toto dum adfuit tempore largissimas pauperibus quotidie elargiri eleemosynas. Qui singulis diebus inter pauperes ante ejus domum congregatos panem & elixam carnem haud exiguo pondere cum jure distribui curavit, addito largo vini haustu, & jejuniorum tempore pultem aut legumina. Vidit hic Princeps religiosus in Constantiensi Concilio, quæ essent Reformationis fata, quæ impedimenta injecta, quæ decreta facta, quæ spes concepta, & quousque falsa. *Eberhardi Archi-Episcopi Salzburgensis religiositas in Concilio Const.*

Quamobrem soluto præter opinionem per Martinum V. Concilio, ac dilato communi reformationis voto in Synodum Italicam Papiensem, cum sensisset, parum sic iri effectum publica autoritate, suum facturus officium, Constantiensis Concilii aliorumque bonorum ac doctorum virorum consilium observans, frequentia Nationalia ac *Provincialia Concilia* esse instituenda, in suis hoc absque mora orsus est ditionibus ac Ecclesiis A. 1420. *Provinciale Concilium instituit.*

In primo hoc à Constantiensibus fatis Provinciali in Germania Concilio Salzburgensi, *de negotio fidei ac morum ad reformandam Ecclesiam* sedulo actum. Præsentes fuerunt præter *Eberhardum ArchiEpiscopum*, Episcopi plures, *Albertus Ratisbonensis, Hermannus Frisingensis, Engelmarus Chiemensis, Ulricus Seccoviensis, Wolfardus Laventinensis*, quibuscum consenserunt absentes Episcopi *Pataviensis, Brixiensis, Gurzensis.*

Reformavit. In Ecclesiasticis statutis, reformationi consecratis, in isthoc Concilio factis, in præfatione memorat ArchiEpiscopus, Salzburgenses olim ArchiEpiscopos, antecessores suos, saluberrimos condidisse in provincialibus Conciliis Canones. Verùm, interveniente longo illo & ferali Pontificum Romanorum schismate, quod universam Ecclesiam miserabiliter lacerasset, è memoria ex quadam desuetudine exulasse. Hinc delinquentium impunitate, quæ veniam daret delinquendi, factum, ut effrenata cupiditas & veniæ facilitas, tam in clero quàm in populo, pristinum Salzburgensis provinciæ in moribus decorem vitæ deformitate denigrarint. Sed à Constantiensi Concilio, quo schismati finis impositus, tempus jam esse, ut ex Episcopali officio, quod dudum serio exoptasset, se componat *ad reformationem morum*, salubribus statutis confectis. Quæ à *Labbæo, Conciliorum Tom.* XII. *f.* 308. exhibita.

Novam Synodum indixit. Cum definivisset necessitatem frequentium Synodorum Provincialium ac Episcopalium, novam *Salzburgensem Provincialem* indicit in annum proximum, duodecim diebus continuandam. Pœnæ statuuntur illis Episcopis, qui non quotannis *Episcopalem Synodum* triduo duraturam celebrent.

Reformationis articuli. In Synodis verò istis agendum esse de corrigendis excessibus, & *reformandis moribus*, præsertim *in clero*. Visitanda Monasteria, Augustinianorum inprimis & Benedictinorum. Viros probos & honestos constituendos, qui per totum annum sollicite observent, quæ correctione ac reformatione sint digna, ut concilio dein provinciali aut episcopali referri queant.

Monachorum dictorum *capitula provincialia, ad reformandos* eorum *mores*, de triennio in triennium habenda, severe indicit.

Consuetudines Ecclesiis onerosas interdicit, quas ordinarius loci tollat. Quales Ro. curia antea multas invexerat.

Beneficia Ecclesiastica non sine superiorum autoritate accipienda aut dimittenda, sicut antea in schismate factum, curia Ro. sibi omnia vindicante.

Examina ordinandorum graviter urgentur, ne, ut olim per Curiam Ro. irrepant indigni. *Concubinatus Clericorum* damnatus, qui tempore schismatis in Ecclesiam irrepsisset, neglectis constitutionibus sacris.

Clerici ordinandi jurare jubentur, quod *absque omni Simonia* ad officium penetraverint.

Cavendum esse, *ne inepti & imperiti* amplius, ut antea, *Ecclesiis præficiantur* pastores, in præsentissimum Ecclesiæ damnum. Provocatque ArchiEpiscopus ad *Concilii Constantiensis decretum*, quod, ut saluti nationis

tionis Germanicæ provideretur, hac de re factum. Jubetque Constantiensem illam de *idoneis* faciendis *pastoribus* constitutionem in suis provinciis in Synodis episcopalibus publicare & sancte servare.

Contra Simoniam, quæ prorsus extirpanda, *constantiense decretum* in singulis Ecclesiis cathedralibus & aliis Collegiatis per ordinarios aut eorum inferiores ter quotannis publice prælegere mandat, ne quis se ignorantia excusare possit: Pœnis statutis quibusvis delinquentibus aut dissimulantibus.

Præclara hæc prima in hoc ArchiEpiscopatu Germanico *Reformationis Ecclesiasticæ fata.*

CAPUT V.

De THEODERICI ArchiEpiscopi Coloniensis, Electoris Imperii, Provinciali Concilio, pro Reformatione morum in suis Ecclesiis, A. 1423.

ArchiEpiscopus Coloniensis THEODERICUS, *Princeps Germanus Imperii Elector*, ex legatis suis quos in Constantiensi Concilio suo nomine agere jusserat, ambiguam Reformationis desideratæ fortunam acceperat. Imitaturus ergo exemplum ArchiEpiscopi Salzburgensis, *provincialem Synodum* instituit, *ad corrigendos* quosdam *Ecclesiasticorum mores corruptos. Focarias* aut Concubinas à Clericis esse expellendas: Stationarios & *quæstuarios*, caritativa subsidia postulantes & indulgentias prædicantes, præter ordinarios sacerdotes, non esse ferendos. *Synodus Provincialis Ele. Electoris Coloniensis. Articuli reformationis.*

Cæterum etsi intentio optima omnino fuerit & hujus ArchiEpiscopi, tamen neque tanta sollicitudo, neque par solertia in discutiendis defectibus, neque similis contentio vitia extirpandi, in eo deprehendetur, qualis in Salzburgensi fuerat. Sicut & statutum, *Concubinariis clericis* oppositum, paulo post ab eodem ArchiEpiscopo large explicatum, eos nimirum interdicto solùm peti, qui *notorii* sint concubinarii, qui concubinas *in suis ædibus* vel alibi *publice* alant.

Hæc *tenuiora* videbantur in hoc ArchiEpiscopatu Germaniæ amplissimo *Reformationis fata*, quæ à clero utique subterfugiente sic coërcita & in angustias illo tempore redacta. Dummodo *Provincialis* hujus *Synodi Coloniensis statuta* integra hactenus sint servata. Acrius postea in Concilio Basileensi & in Comitiis Francofurtensibus negotium hoc ursit idem *Imperii Elector Theodericus, Comes de Morsa.*

CAPUT VI.

De OTTONIS ArchiEpiscopi Trevirensis, Electoris Imperii, Provinciali Concilio pro Ecclesiastica Reformatione in suis ditionibus, A. 1423.

Otto, Comes de Zigenheim, ablegatus ab Electore Trevirensi *Wernero* ad Concilium Constantiense, quippe qui Præpositus & Canoni- *Otto, comes de Morsa.*

nonicus esset Ecclesiæ Coloniensis. Viderat igitur præsens & Sigismundi Imperatoris & Principum Germaniæ Regumque exterorum ingentem sollicitudinem pro Reformando Ecclesiastico statu. Sed & scrupulos injectos observaverat.

Elector Trevirensis factus. Quare finito Concilio, in defuncti *Werneri* Electoris locum surrogatus hic *Otto, Elector Trevirensis* constitutus, *Archi Episcopi* munere legitime fungi constituerat. Hujus Principis religio commendari satis non potest ab illis, qui eum illo tempore noverunt. *Johannes Niderus*, hujus Principis coætaneus, & Cancellario Electoris hujus familiaris, in *Historia sui temporis* supra laudata, *lib. 2. cap. 2. p. 179. Scio*, inquit, *hunc Pontificem Comitem fuisse origine, vita immaculatum, amicis etiam secularibus & potentibus ditatum, & virtutibus plenum.* *Religioso.*

Reformationem pro celso suo munere & seria religiositate orsus hic Elector in suis regionibus. Verum magnos sibi à clero montes objici sensit. Quibus dum movendis esset occupatus, à contumacissimo clero suâ pertinaciâ excruciatus, moli succubuit, incorrigibili clero male ominatus. *Gabriel Bucelinus* in *Germania sacra Part. I. f. 35.* hujus *Ottonis Trevirensis* indefessum *Reformationis studium*, & objectas à malo clero difficultates paucis complexus est. *Otto*, inquit, *Comes de Zigenheim s. Zegenheim, Princeps dignissimus. Hæreticis & hostibus metuendus. Clerum reformare conatus multorum odium indigne incurrit, constantissime tamen quæ Dei sunt promovens, obiit pater pauperum A. 1430.* Idem testatur *Cratepolius* in *Annal. Trevir. p. 98.* *Reformationem cleri tentavit. Sed frustra.*

Fusius sed & distinctius hunc *Electoris Trevirensis* ardorem, illo tempore suas Ecclesias reformandi, laudatus commendavit *Niderus*, cujus ætate hæc omnia gesta, quique obstacula, & cruces Electori à perverso nec emendando clero fixas, curate noverat. Testem hunc luculentissimum eumque oculatum audire juverit. *Noster contemporaneus*, inquit *lib. 2. cap. 2. p. 175. Dominus Otto, Trevirensis Ecclesiæ Archi Episcopus, ut ab ejus Cancellario, Magistro Tydmaro, Decretorum devoto valde Doctore, audivi, & ab aliis fide dignis percepi, divino ut creditur nutu primum electus Præsul dictæ Ecclesiæ, tam plenam duxit vitam virtutibus, ut non de Teutonia Episcopus, sed plus videretur esse Monachus. Nam corpus jejuniis & vestimentorum duritia attrivit, & animum intra rerum temporalium extremum strepitum ad contemplativam vitam erexit. Latera sua tam in rebus Ecclesiasticis quam secularibus munivit viris literatis & religiosis, qui noscere possent, quid reddendum esset Deo & quid Cæsari. Ipse cum exercitu non exiguo, fide bona plenus, cum expensis gravibus, Boëmiam intravit, & quantum ejus interfuit, pestem hæreticam ibidem extirpare conatus est. Pro qua causa, nisi apostolica sedes prohibuisset licentiam, quam obtinere nequivit, bona quædam fortunæ Ecclesiæ suæ libens vendidisset. Et quia Zelus domus Domini virum comedere non desiit, quando vidit suos Canonicos & sacerdotes collapsos à gradu suæ institutionis, monasteriaque deformata nbilibet: Idcirco* operam dare cœpit sanctæ reformationi, *quam in se dudum antea stricte assumserat. Quam quidem in paucissima loca introducere valuit, sed in nullum Collegium clericorum secularium. Maligno enim instigante spiritu, & vitiorum turma tam in monasticis quam secularibus viris renitente, muri destructa hierarchia resuscitari non poterant, & opus Dei, demeritis hominum exigentibus, interceptum est, non ut olim à mechanicis, sed à malis clericis & monachis. Qua in re, hi, qui minus debuerant, literis sacris imbuti, sed & Deo dedicati, amplius quam seculares* restiterunt reformationi. *Quo viso vir sanctus ingemuit, &*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

& cum B. Ambrosio de cleri duritia tactus dolore cordis lamentari cœpit, ac mori & cum Christo esse non pertimescere: Voceque prophetica, die quadam dominica, ut creditur revelatione prædictus, publice prædicere, sui incolatus absolutionem adesse brevi, deinde rebellem clerum & populum ultione divina mulctandum gravi. Vos, inquit, me benignum præcedentem sequi noluistis: Venient tempora, in quibus quod neglectum supplere cupietis, & præ calamitate id non perficietis. Ego autem interim tollar de medio, & dormiam cum patribus meis. Dixit & ordine factum est, ut prædixit. Nam paulo post, licet ætas viri id non exigeret, divino tamen beneficio, ut reor, & ne oculi sancti hominis viderent mala imminentia, ægrotare cœpit, & sumptis devotissime Ecclesiasticis Sacramentis, feliciter migravit ad Deum. Post cujus occasum, in electione novi Pastoris dissensio non levis suborta est. Nam pœne omnes elegerunt illum, qui viro Dei in Reformatione plurimum, ut dicitur, restiterat, ut aliorum captaret benevolentiam. Paucissimi alium prætulerunt, armis munitum theatralibus, & mundana fretum amicitia, qui de facto non de jure, priori resistendo, permittente divino judicio, eum penitus à jure electionis desistere coegit. Dedit proinde Dominus Apostolicus (Martinus V.) & confirmavit in Trevirensem Præsulem, Spirensem prius Episcopum, virum seculari consanguinitate etiam potentem. Cui is, qui prius electum à cœpto desistere compulit, pari modo restitit, & longe acrius. Exinde sibi hi resistentes mutuo, primùm via juris, deinde materialibus armis, demum utroque, sibi tam inhumaniter restiterunt utrinque, ut ipsa Diœcesis, imo metropolis, sex circiter annis & ultra, interdicta gravissima, excommunicationes acerbissimas, prædas, incendia, cædes hominum & bella pateretur continue, desolarentur propterea Ecclesiæ, & ex Monasteriis adeo plurimi exulare cogerentur, quidam ex rerum temporalium carentia, alii verò ex sacramentorum, quam ferre cogerentur, abstinentia.

Egena hæc *Reformationis fata in Germania in Electoratu Trevirensi*, proxime à Concilio Constantiensi.

CAPUT VII.

De JOHANNIS Archi Episcopi Moguntinensis, Electoris Imperii, Synodo Provinciali, pro Ecclesiarum suarum Reformatione. A. 1423.

QVoniam cum aliis *Germaniæ Principibus*, & *Johannes, Archi-Episcopus Moguntinensis, Imperii Elector*, præsens in Concilio Constantiensi extiterat, rebusque arduis de Reformatione universali Ecclesiæ interfuerat, soluto præter spem Concilio, dilataq; per Martinum V. Reformatione desiderata, sibi faciendum vidit in suis Ecclesiis, quod in omnibus Constantiæ erat quæsitum. Exemplo igitur & communi consensu ceterorum Archi Episcoporum in Germania, & hic *Elector Imperii* ac *Archi-Episcopus* Synodum Provincialem in suo territorio indixit, ac pro *Reformatione Ecclesiarum suarum* salubres constitutiones fecit.

Reformatio Electoris Moguntinensis.

CAPUT VIII.

De interdictis à Martino V. Germanicæ Nationi Conciliis Nationalibus pro Reformatione Ecclesiæ, Constantiæ & Senisis quæsita A. 1424.

QUod pollicitus erat *Martinus V.* in Concilio Constantiensi, cum illud dissolveret, se *Reformationis negotium*, Constantiæ in Ger-

mania cœptum, proxime in novo *Concilio Papiensi* plenius tractaturum, visus est præstare, quando vix finitis, in Germania per ArchiEpiscopos & Imperii Electores institutis, Provincialibus Conciliis, in Italiam causam communem traxit. A.1423.

Conciliũ Papiensi ac Senense.

Verùm quod Gersonis consilium Principibus Germanis adhuc firmo hæreret animo, tale Concilium à Papa indictum pro Reformatione universali Ecclesiæ tractanda, in loco ubi Papæ potestas civilis prævaleret, & periculum esset, ne libertate dicendi præclusa irrita foret res omnis, declinandum: In hoc in Italia à Papa convocato Concilio *Principes Germaniæ* non comparuerunt. Maxime cum ex Concilii Constantiensis fine cognovissent, quam sollicite Martinus hoc reformationis forum declinaret.

Tametsi verò pauculi adessent ex Germanica natione, inter quos *Nicolaus de Susato Doctor Theologiæ*: Nihilominus ex Concilii Constantiensis regula publica Reformationem promissam à Martino postularunt. Motaq; similiter Constantiensis quæstio de autoritate Concilii & Papæ. Quæ cum animadvertisset Martinus, prætextu confusionis in isthoc Senensi Concilio subortæ, definito *Concilio* proximo *Basileensi*, hunc cœtum dissipavit, promissa iterum certissima *Reformatione universali Ecclesiæ*, in curia sua Romæ tractanda. Significavit hoc statim *Martinus V.* per literas ArchiEpiscopo Toletano his verbis: *Voluissemus, ut per te & alios optime sentientes ea gravitate & libertate, qua in re tali conveniebat, agi potuisset de Reformatione universalis Ecclesiæ in Senensi Concilio. Sed postquam tantæ rerum perturbatio secuta est, ut vidisti, in animo nobis est, hanc Reformationis materiam non relinquere, sed ad prosecutionem debitam intendere in curia nostra.*

Quæsita Reformatio Ecclesiæ, sed frustra.

In his præcipua Martini erat sollicitudo, cum Senense Concilium dissolveretur, ut gravissimo edicto tùm aliis Nationibus tum & *Germanicæ* interdiceret, ne, ut antea ArchiEpiscopi & Electores fecerant à Concilio Constantiensi, à Concilio hoc Senensi pergerent *concilia nationalia* aliosve conventus de hoc *Reformationis negotio*, in Senensi quæsito sed non præstito, verum Romæ tractando, celebrare. Ne ulla Senensis Concilii ullo modo continuati esset species.

Interdicta Germanis Concilia Nationalia pro Reformatione.

Remotis sic Germanis, hujus rei arbitris, & negotio sibi soli servato, *Martinus V. tres* constituit *Cardinales*, Antonium Episcopum, Petrum Presbyterum, & Alphonsum Diaconum. Ad hos referre Christiani jubebantur, quæ censura castiganda, vel in meliorem ordinem redigenda viderentur. Hoc fine literæ excyclicæ à Martino V. missæ, hujus tenoris: *Ne propter dissolutionem (Senensis) Concilii, reformatio universalis Ecclesiæ & Romanæ curiæ impediatur aut retardetur, quam expediri in ipso Concilio libentissime vidissemus, si debite fieri potuisset, & quam omnino prosequi & finire intendimus in omnibus suis membris: Venerabilem fratrem Antonium Episcopum Portuensem, & dilectos filios Petrum tit. S. Stephani in Cœlio Monte presbyterum, ac Alphonsum S. Eustachii Diaconum, Cardinales, super hoc & ad recipiendum a quibuslibet dare volentibus informationes, institutiones, & alia, quæ pro hujusmodi reformatione eis utilia vel necessaria videbuntur, duximus deputandos. Quæ ideo ad notitiam vestram deducere decrevimus per præsentes, ut præmissorum omnium veram certitudinem habeatis. Ne propterea quisquam existimet, nos* reformationem Ecclesiæ & Romanæ curiæ *velle negligere*

Cardinalibus tribus Reformatio commissa.

gligere aut differre, ad cujus prosecutionem juxta pastoralis officii debitum sumus ferventissime animati. Et si qui sint, quibus Deus aliqua pro ipsa reformatione salutaria inspiraverit, illa præfatis Cardinalibus in scriptis exhibeant; Quod nos semper gratum habebimus, ut tandem omnibus collectis in unum, quæ ad reformandum statum Ecclesiasticum & eandem curiam *facere videantur, quod principaliter affectamus, pro salute fidelium animarum, pro conservatione libertatis Ecclesiasticæ, pro quieto statu populi Christiani, maturius & consultius ad expeditionem reformationis ejusdem procedere valeamus. Dat. Romæ apud S. Petrum, IV. Idus Martii, Pontificatus nostri Anno VII.*

Hoc freno & Germanis injecto, longissima negotio mora data, quæ sensim rem omnem extinguere posse visa.

CAPUT IX.

De continuato in Germania universalis Reformationis negotio per SIGISMUNDUM & ALBERTUM, Imperatores, *aliosq; Principes, in secundo* Concilio universali, *in Germania, Basileæ, congregato. A.* 1431.

EX Italia in Germaniam ardua hæc tandem rediit causa. Totum enim idque difficillimum negotium in *novum inter Germanos collectum Basileense Concilium Universale*, dudum solenniter definitum & *Universali Reformationi Ecclesiasticæ consecratum*, redundavit. *Decreta Basileensia de Reformatione.*

IMPERATOR SIGISMUNDUS, & ejus in Imperio successor *ALBERTUS*, ceterique Principes Celsissimi & Assessores venerabiles, varia in hoc Concilio *de reformatione Ecclesiæ universali* confecerunt decreta publica, repetitis ac *confirmatis Constantiensibus*. Cujus vel unus, isque locupletissimus inter multos alios testis *Æneas Sylvius* in elegantibus suis *Commentariis de Concilio Basileensi*, cujus spectator & pars fuit haud postrema: Etsi sui hujus eum testimonii pœnituerit postea cum Papa Pius factus. Verùm præter *Eugenium* tergiversantem ac diffugientem, & *Concilii de Reformatione decreta* dissolvere annitentem, plures viri docti, Eugenium sectantes, isthæc Concilii decreta acerrime oppugnare haud sunt veriti.

Ita multis ultro citroque editis scriptis actum publice de Conciliorum Generalium, & in specie novissimi Constantiensis Concilii, autoritate, deque *Reformatione Ecclesiæ in capite & in membris*, in Constantiensi concilio pridem cœpta, sedulo Basileæ continuanda atque perficienda.

Quæ omnia clarissime patebunt ex *Rebus Concilii Basileensis*, quas ex permultis *MSCtis antiquissimis*, ad præsens *Rerum Concilii Constantiensis* exemplum, suo tempore auxiliante Deo literato orbi exhibebit, pro impenso *suæ Celsitudinis* in literas & Ecclesiæ historiam affectu, *Dux Serenissimus* RUDOLPHUS AUGUSTUS.

Sane Orator in Concilio Basileensi celebris, *Johannes Niderus, Suevus*, Theologus Basileensis, multis scriptis inclytus, *difficilia communis Reformationis & in Concilio Basileensi* tentatæ *fata*, in suo *Formicario*, sui temporis historiam complexo, quæ suis viderat oculis, candide descripsit *p. 94. seqq. editionis nostræ*, his usus verbis: *Prælati civitatem militantis Ecclesiæ in ædificiis ejus, quantùm sua interest, ubi ruinam patitur, debe-*

Reformatio necessaria.

deberent reformare, homines diversis modis Deo ibi obsequendi instruere, ab æstu vitiorum ac gelicidiis inimicorum defendere ac protegere, & sese verbo & exemplo ita habere, ut in his à spiritu divino mererentur principaliter dirigi. Ita enim hanc civitatem vidit Johannes descendentem de cœlo, & in eodem oriri primitus. Vidi, inquit, civitatem sanctam, Hierosolymam novam, descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Sed heu hodie res versa est in contrarium. Nam potior ejus portio, Status Ecclesiasticus, magna in parte deprimitur avaritia, superbia, & utinam non incontinentia. De quibus psalmus conqueritur, dicens: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum. *In parte verò secularium adeo ubique rupta pacis fœdera, ut in eis illud Prophetæ locum habeat:* Effusa est contentio super Principes, & errare eos fecit in invio & non in via. *Et iterum dicit de civium malitia atque imprecatur:* Præcipita Domine, divide lingvas eorum. Quam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate die ac nocte. Circumdat eam super muros iniquitas, & labor in medio ejus & injustitia, & non deficit in platea usura & dolus. *De religionis autem vinea, cujus radices Dei plantavit filius, qui olim implevit terram, operuit montes umbra ejus & arbusta ejus, cedros Dei, qui insuper extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus, sic alibi dicit;* Destruxisti maceriam ejus, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediantur viam, exterminavit eam aper de sylva & sylvestris fera depavit eam. *Obj. Tempore nostro, quo* CONSTANTIENSE GENERALE celebrabatur CONCILIUM, *quantum succurrit, de* REFORMATIONE *multum tractabatur in eodem* SINGULARUM STATUUM CIVITATIS ECCLESIÆ. *Et lætatus sum tunc in his, quæ dicta sunt mihi. Quia in corde dixi:* In domum Domini lætantes ibimus. *In cujus atriis vix stabant pedes nostri præ deformationis malitia, sed frustrati sumus desiderio nostro. Advenit postmodum præsens* BASILEENSE CONCILIUM quod pœne in omnium Bullarum suarum præferebat exordio REFORMATIONIS TITULUM. *Rogavimus in eodem Concilio per antedictum Psalmum quotidie divinam clementiam ut id fieret. Instituebatur ob id disputatio specialis, dicta* Reformatorii. *Et usque ad sex annos jam crebro disputatum est* de diversorum statuum reparationibus. *Nec in effectu hactenus vidimus. Scire ergo valde cupio, utrum* de totali Reformatione Ecclesiæ in membris & in capite, *aliquam spem habere possimus, ut jucunde eum Propheta canamus:* Dum convertit Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. *Resp.*

In Concilio Const. tentata.

In Basileensi repetita.

Non omnino frustra celebrata fuerunt duo ista Concilia. Nam in primo inveteratissimum schisma Ecclesiæ, cui ante nullis modis mederi quis potuit, divino regimine sublatum est. In altero vero crudelissima Hussitarum persecutio & eorum infidelitas, quæ nullis tractatibus, nec fidelium gladio, sub quo infiniti corruerunt ex utrisque partibus, auferri potuerunt, per Christi gratiam pœnè totaliter aversa sunt, mitigata ad minimum atque sopita plurimum. De totali *autem, quam depingis,* Reformatione Ecclesiæ, *ad præsens & propinqua futura tempora, nullam penitus spem habeo. Tum, quia voluntas bona in subditis deficit, tum quia illud Prælatorum malitia impedit, tum etiam, quia illud electis Dei, qui persecutionibus malorum probantur, non expedit. Exemplum de hoc accipe in arte Architectonica. Da enim Architectum, quantumcunque artificiosum, si is materia congrua, lignis vel lapidibus caruerit, nunquam domum construet. Da rursus ligna vel lapides, in materia etiam nobili, si architectum non habueris, domo idonea & habitationibus semper carebis. Si præterea domus aliqua amicis tuis accommoda non foret, & ædificata fortassis eis obesset, cur eam prudens habue-*

Desperata Reformatio universalis

construeret? Hæc tria dum Reformationi totali Ecclesiæ *applicabis, quam impossibilis sit, ipse mentalibus oculis videbis. Verum de* Reformatione particulari *in civitate Ecclesiæ possibili, in multis statibus & religionibus, non dubito. Quin easdem indies introduci videmus in quibusdam monasteriis & conventibus. Sed cum quanta difficultate, novit altissimus. Si enim præsente Generali Concilio, in Basilea annis sex ne unum quidem fragilis sexus monasterium, cooperante etiam seculari consulatu, reformari potuit, propter quorundam inhabitantium vitam malam, & eisdem junctam sævitiam: Quid quæso sperandum est de virorum nobilium vel literatorum Collegiis, qui ruinas & deformitates suas, in spiritualibus existentes domibus, non modo armis chalibeis, sed etiam, quæ deteriora sunt, verbalibus & ligneis possunt defendere.*

Edidit laudatus *Niderus* eodem tempore grande & affectu religionis plenissimum opus de *Reformatione status Cœnobitici*. Cujus geminus *Codex MSCtus, in Fol.* & 4. in *Academiæ* nostræ *Juliæ Bibliotheca publica* asservatur. Argumenta librorum ac capitum recensuimus *in Præfatione Tomi III. Avtographorum superioris seculi*, quæ *SERENISSIMI BRUNSVICENSIUM DUCIS RUDOLPHI AUGUSTI* Heri mei clementissimi, *Bibliotheca Brunsvicensi Rudolphea* sollicite servantur. Ex quibus Niderianis clare perspici porro potest, quantæ difficultatis res fuerit Ecclesiam illo tempore in Germania emendare.

Cum Nidero plane postea consensit *Johannes Geilerus Keisersbergius*, Theologus Argentoratensis illo seculo labente celeberrimus, & orator facundissimus, Maximiliano Imperatori carissimus. Hic in suo *Formicario*, Nideriani æmulo, *Ao.* 1517. *Argentorati* edito, *fol.* 21. *& seqq.* haud illepide disserit de utriusque Concilii Const. ac Basileensis quoad Reformationem Ecclesiæ universalem fatis. Oratione VIII. Structuram formicarum ex aridis foliis sine duce architecto præterquam Deo, Conciliorum patribus commendat, quorum sit totius Christianismi ædificium adornare, ut usui divino inserviat, *reformando* ac restaurando si quid collapsum sit aut corruptum, adversus omnes impetus protegendo, idque non alio quam Spiritu S. duce & autore. Constantiense ac Basileense Concilium suo fere fine fuisse frustrata dolet. Totum clerum à capite ad calcem, à Pontifice ad infimum ministrum, penitus corruptum omnibusque repletum vitiis conqueritur, avaritia, fastu, luxuria. (Bei geistlichen, versteh uns, die Weltliche Priester genannt sein, so wirst du finden, dass von dem Höhesten bis auf den Minnesten alle Stand verderbt sein. Nim den Schaufalt, das solt sein der geistliche Stat, Bischöff, Pabst, Cardinäl, Pröbst, Dechen, &c. Der Schaufalt ist ful, und soll nicht sein. Betracht ihn, so findestu solche Hoffart, Ubermuht: Niemand kan uns Ehre gnug anthun, nimand kan uns erfullen. Wir häuffen unsere Pfründen, ein Pfründ auf die andere. Wir krigen um die Empter, als höher auf hin, von einem Ampt zu einem höhern.) Ordines Monachorum prorsus esse laceratos. (Die Ordensleut sind grösser Buben, und also gross als im weltlichen und im geistlichen Stat. Sie sind in aller Leckerei forn dran. Drum ist das Verslein wahr:

Keisersbergii judicia de fatis publicæ Reformationis in Concilio Const. ac Basileensi.

Corruptio Ecclesiasticorum.

Monachorum.

Quicquid agit mundus, monachus vult esse secundus.

Was die Welt thut, da will der Münch der ander dran sein. Zu Rom kam ein Münch zu einem Cardinal. Der Cardinal wolt ihn umtreiben, und sprach: *Quicquid agit mundus &c.* Der Münch sprach: Nicht, Pater Reverendissime, nicht, nicht. Der Cardinal sprach: Warum nicht? Er antwortet:

Er will nicht der ander sein, er will allwege der erste sein. Der Cardinal lacht. Die Ordensleut sind die, welche dem Stat der zwölf Boten nachgehen und ihren Stat durchzeugen. Zu denen sprach der HERR: Vos estis sal terræ. Es sollen Klosterleut andere Menschen saltzen mit guten Lehren und Exempeln. Aber sie sind warlich Salz: Superbi, Avari, Luxuriosi. Die ersten drei Buchstaben, die machen SAL. Das sind sie, und sind also versaltzen mit den drei Stücken, mit Hoffart, mit Geitz, mit Unkeischheit, dass man ihnen nicht mehr kan zu hülff kommen.) In Concilio Basileensi sex annis reformationi instituendæ unice insudatum, sed irrito eventu. Id boni effectum, ut bellorum adversus Hussitas terminus esset. Constantiense quoque in Reformationis negotio frustra laborasse. Id licet impetraretur, ut reliquiis Pontificum, qui ultra 60 annos sedem nunc Romæ nunc Avinioni sibi vendicarant, abolitis, unus maneret. Depravatum quoque civilem Principum ordinem. Quem reformare non contingat, ob discordias insanabiles. (Der weltliche Stat ist auch verderbt. Man spricht: Sangvis Principum non facit bona farcimina; Fürsten-Blut gibt nicht gut Wurst, denn es wil nicht zusammen hangen. Wenn Blut in einem Darm nicht will bei einander bleiben, so wird nimmer gut Wurst. Die Fürsten sind wider einander, sie fechten und streiten wider einander, wie wolt man die reformiren?)

Nulla spes de communi reformatione.

Communem Reformationem dari posse negat cum Nidero, propter *superiores*: Dum ad Concilium ablegandi Prælati, Abbates, Præpositi, Decani, Doctores, ad rem nihil conferant: Tum propter *inferiores*, qui omnes sint repugnaturi: Tum propter *bonos*, quos à malis exerceri salutare sit. *Specialem* vero *Reformationem* à quolibet in suo ordine atque territorio suscipi cum fructu posse. Ut Episcopus suum redintegret Episcopatum, Abbas Monasterium, Consul civitatem, civis domum. Nullum vero Concilium id efficere potuisse, ex eo probat, quod vel ad unius Collegii reformationem veniam à Pontifice, à Rege, perere necesse sit, ad deformationem autem lubido & arbitrium cujuslibet sufficiat. Basileense Concilium ne unum quidem Monialium Collegium in ordinem redigere sustinuisse, quod favore ac amore civium frueretur: Quanto minus spei reformandi monasteria virorum. (Das ganz Concilium zu Basel war nicht so mächtig, dass es mocht ein Frauen-Kloster reformiren in einer Stadt; denn die Stadt hielt es mit den Frauen. Wie wolt denn ein Concilium erst die ganze Christenheit reformiren? Ist so hart, ein Frauen-Kloster zu reformiren? Wie hart wär es denn, die Mann-Klöster reformiren, besonder, da nicht denn Edele inn sind, und einen grossen Anhang haben?) Repetit posthæc consilium, ut quisque sibi bene agendo recte consulat. (Weil es so hart ist, die gunze Christenheit und besondere Stände zu reformiren, drum stoss ein idweder sein Haupt in einen Winkel, in ein Loch, und sehe, dass er GOTTES Gebot halte, und thue, das recht sei, damit dass er selig werde.)

Specialis reformatio felicior.

Ingens Basileensium labor in uno monialium monasterio reformando.

Non omnis culpa superioribus imputanda.

Superioribus corruptos omnium mores imputari ex omni parte non posse, cum *Nidero* demonstrat. Illis quidem incumbere, ut bene præeant, & viam secuturis monstrent: Maximam tamen mali culpam nobis tribuendam ipsis, qui malos antecessores vel imitari vel ab illis abstinere queamus. Illos jubere vel prohibere, nos obsequi vel obsequium detrectare. Alioquin pœnam à nobis

nobis Deum sumere non posse. Superiores interim non omni carere culpa. Ad longam qui provocent mali consuetudinem, à majoribus ad nos derivatam, quos ineptiarum accusare nefas sit: Eos refellit, Omnino avorum aliquos à via aberrasse affirmans. Neque vero quid actum vel agendum sit, esse circumspiciendum. *Nemo curat quid faciendum sit, sed quid fiat*, ait cum Seneca. Neminem interim coram DEO excusari superiorum peccatis. Quod si in malis, cur non & in bonis superiorum legantur vestigia? Etiamsi verò in manibus superiorum non sit, omnibus mederi malis: Conandum tamen esse & tentandum, ut suum quisque officium fecisse censeatur. Quam intentionem & studium emendandi præmio olim digno Deus sit remuneraturus. Quod serium, etsi irritum, non tamen inane studium lepido illustrat simili. (Wenn eine Mörin in eine Badstub ging; der Bader rieb und wusch sie, sie würde aber nicht weis, noch müst sie dem Bader das Geld geben.) Quod si divina gratia bonus contigerit Dux, Episcopus, Pastor, gratias DEO reddendas, ac precibus pro salute illorum intercedendum. Unde consuetudo laudabilis publicarum precum pro omnibus superioribus, Regibus, Episcopis, Magistratibus. Rusticitatem esse insignem, si qui hunc morem contemnant. Ceterum *reformationis publicæ & universalis difficultate* non omnem tolli mali correptionem, & pœnam infligendam. Redarguendos omnino delinquentes: Hac tamen lege, ne ad vivum omnia resecentur: Juxta effatum *Cæsaris Sigismundi: Nescit regnare, qui nescit dissimulare.* Correptionem adhibendam, si spes supersit fructus. Majoris mali periculum admonitionem disuadere. Innotuisse tamen delicta non esse dissimulandum. Interdum etiam sine spe emendationis redarguendos malos, ne silentio peccata augeantur. Ita ergo temperandam omnem mulctam, ut majus malum evitetur. Id quod medicis in usu, qui sæpe disuadent ulceris medelam, ne æger in vitæ incidat discrimen. Hanc plectendi prudentiam cum *Nidero* laudat in Saule, Rege. Qui, dum bonus erat, multis gratus, ab aliquibus tamen sannis exceptus, regnoque indignus judicatus. Hunc dissimulasse injuriam, ne sumptum supplicium alios in furorem verteret. In Dario idem notari, cum Danielem in leonum foveam præcipitandum ab eo postularent invidi. Ex arena Regi consilium fuisse sumendum, pro rerum statu, dissimulando animi inviti motum, manibus Magnatum quem quærebant permittendo, ne in se arma verterentur. Idem & Matathiam præstitisse, qui connivere tantisper debuerit Antiocho, Hierosolymam & templum diripienti, usque dum copias collegisset.

Difficultas reformationis non tollit omnem obligationem.

Prudentia opus in reformando.

Hæc duorum *Clarissimorum illius seculi Theologorum judicia*, de fatis Reformationis, in utroque Concilio, Constantiensi & Basileensi, inter Germanos vel institutæ vel definitæ vel optatæ, sed maxima ex parte suo fructu ac fine frustratæ. Multorum aliorum illustrium virorum calculos cumulare nec locus nec scopus hic admittit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CAPUT X.

De Comitiis Moguntinensibus. Anno 1440, *& Comitiis Francofurtensibus A.*1442. *pro reformanda Ecclesia, sub Friderico III. Imperatore.*

CEterum quod & Constantiensis & Basileensis Concilii, utriusque universalis, de Reformatione sanctiones & decreta, apparerent frustranea, conquesti de hoc Germani.

Statuta Constantiensia ac Basileensia servanda.

Quare, *Sigismundo & Alberto defunctis, IMPERATORE FRIDERICO III.* Electores & Principes Imperii Germanici, in *Comitiis Moguntinensibus Anno* 1440. *& Francofurtensibus* Anno 1442, vehementer insistendum urserunt decretis utriusque Concilii œcumenici, Constantiensis ac Basileensis, quoad *Concilii autoritatem* ac *Reformationis necessitatem*, novumq; iterum Concilium cogendum.

Quo pertinent cumulata *consilia* & *Responsa Academiarum Germaniæ* præcipuarum, ac speciatim Theologorum & JCtorum clarissimorum, à *Johanne* & *Friderico* Salzburgensibus Archi-Episcopis, & Theoderico Archi-Episcopo & Electore Coloniensi, quæsita ac impetrata. Quæ ex *vetustis illius temporis MSCtis* suo exhibebit tempore, publici boni amantissimus *Brunsvicensium DUX RUDOLPHUS AUGUSTUS*, ad Ecclesiasticæ historiæ lucem & posteritatis emolumentum.

Episcopi Ratisbonensis consilium pro reformatione jurium Ecclesiæ Germanicæ.

Breve consilium *FRIDERICI, Episcopi Ratisbonensis*, Francofordiæ A.1442. Cæsari datum, ex magno illo numero lubet hic subnectere ex MSCto Helmstadiensi. *In causa præsentis dubii*, ait, *an declaratio pro altero contendentium fieri debeat? Nullo pacto facienda videtur adhæsio aut obedientia, nisi prius fidei fundamenta conserventur, ac pacis ac unionis bonum inde resultet in sancta DEI matre Ecclesia. Nec sic epotare debemus multitudinis aut majoris partis cohortem, ut venena pariter sorbeamus.*

Inprimis is, cui facienda est obedientia, ante omnia profiteatur & confiteatur unam sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam, seque in illa membrum, nec super illam, sicut nec Petrus, sed se principalem ministrum, ad constructionem, non ad destructionem, pro qua Christus sanguinem suum fudit, & rogavit, ut non deficiat fides ejus, &, portæ inferi non prævalebunt adversus eam, repræsentatam per sacra generalia Concilia, potestatem habentia immediate à DEO, cui ipse subesse habeat, præcipue in concernentibus fidem, extinctionem schismatis, & morum reformationem in capite & in membris.

Item (2.) *Statuta, ordinationes & decreta, præsertim respicientia morum reformationem, boni publici conservationem, edita in Conciliis generalibus, maxime Constantiensi & Basileensi, ac per Principes acceptata in dieta Moguntinensi, observet, manuteneat, ac defendat, ac denuo ad cautelam corroboret & confirmet omnia & singula.*

Item (3.) *Cum bonus Pastor animam suam dare habeat pro ovibus suis ac reducere in unum ovile, ne schisma diu in Ecclesia DEI persistat, ex quo læditur & diminuitur fides, destruitur Respublica, Ecclesia pedibus tyrannorum subjicitur, libertas Ecclesiastica extinguitur, censura Ecclesiastica supprimitur, bonum pacis inter Christianos exulat, Ecclesiæ & monasteria destruuntur, conscientiæ fidelium periclitantur, innumera mala exoriuntur: Ante omnia & super omnia obliget se iste, de quo supra, cum toto suo Cardinalium Collegio, mox & sine dilatione cessurum, ac dimissurum Ecclesiam & Papatum, ad requisitionem Imperatoris, Advocati Principalis Ecclesiæ. Quod si non fecerit, eo ipso omnis obedientia & subjectio, eidem facta & facienda, cesset & extincta*

extincta sit. Ipseque ab Ecclesia universali collective & distributive habeatur ut ethnicus & publicanus. Et de omnibus superioribus, antequam præstetur obedientia effectualis, det Bullas patentes Imperatori singulisque Metropolitanis, ut hi tandem suis suffraganeis, & Episcopi suis subditis hæc intiment & insinuent.

Et si hæc renuerit quisquam ipsorum, manifeste se ostendit errare, ac Ecclesiam pro suo ambitu & libidine dominandi in schismate velle tenere, & sic non præesse sed obesse, cui nullo judicio obediendum, nec adhærendum, imo resistendum & ejiciendum. Quia turpius ejicitur quam non admittitur hospes. Et melius est ante reipublicæ succurrere, quam post vulneratam causam remedium quærere.

CAPUT XI.

De Interim Eugeniano, sive Conventione, inter FRIDERICUM III. IMPERATOREM *nomine nationis Germanicæ &* EUGENIUM IV. *inita, pro* Reformationis Ecclesiasticæ statutis, *in Basileensi Concilio factis*, in Germania *posthac servandis. A.* 1446.

QVod in Comitiis Imperii superioribus quæsiverat Fridericus III. aliquo tandem modo consequi visus est A. 1446. Postquam enim in Basileensi Concilio *Eugenius* IV. reformationi definitæ vehementer repugnaverat, eoq; adeo remoto, *Felix, Amedeus*, erat substitutus Papa: Qui duo contendentes sua lite reformationem reddiderant difficiliorem: Fridericus III. & Germaniæ Principes admodum & diu solliciti de illis Paparum dissidiis tollendis, ad facilitandam, ut videbatur, Reformationem comunem, *Eugenium illum* antea remotum se iterum admissuros tandem constituerunt, si diplomatib9 suis esset sancte pollicitus, se *Germanorum Ecclesiasticam libertatem, Reformatione Basileensi* hactenus partam, salvam & illæsam servaturum.

Friderici III. lenitas.

Lubrica Germanorum consilia de Eugenio iterum admittendo.

Annuit facile & callide *Eugenius IV. ac Diplomatibus* confirmavit, se *Decreta Concilii Basileensis De reformatione Ecclesiæ, in Germanica natione* constituta, *de præterito* probare ac rata habere.

In primo *diplomate*, dato *Romæ A.* 1446. *Nonis Febr.* primum testatus est suum erga Germanicam nationem prolixum affectum, qui libenter huic concedat, per quæ Germanicæ nationis quieti & commodis consulatur.

Eugenii promissa larga.

Dein repetit, quod desiderio *Friderici Imperatoris, Theodorici Archi Episcopi Moguntinensis, Electoris, & Friderici, Marchionis Brandenburgensis, Electoris*, quoad *decreta Concilii Constantiensis* confirmanda, jam tum satisfecerit alio Diplomate.

Posthæc *Decreta Concilii Basileensis*, quibus natio Germanica à pluribus gravaminibus *dicatur* liberari, rata habet, atque firma & inviolabilia consistere jubet, quæ nec imposterum à quoquam quavis autoritate queant irrita reddi ac infringi, vel aboleri aut revocari. Indeque quod *Germani*, qui ad tenorem illorum Decretorum Basileensium *Reformationis momenta quædam impleverint*, in illo usu ac possessione nullo modo turbari debeant.

Reformationem Concilii Basileensis ratam habuit.

Quod autem per illa *Basileensia Reformationis decreta* juribus Papalibus multum derogetur, Legatum se ad Germanos missurum nunciat,

Callida conditio.

ciat, qui Papali autoritate munitus cum Germanorum Principibus agere possit de moderamine *illorum*, & quid *de futuro* Papali sedi sit indulgendum.

Spondet interea Germanis salvum usum illorum decretorum, suumq; auxilium adversus eorum impugnatores, *donec* per *Legatum* vel *Concilium*, ad nutum Imperatoris & Principum indicendum, res conficiatur, *aliterque statuatur*.

Indulget *illis* solum *Germaniæ Principibus* suam hanc concessionem ac confirmationem, qui se pro Papa iterum agnovissent & proxime essent agnituri.

Secunda Eugeniana Basileensis Reformationis confirmatio.

Quandoquidem igitur mox & *alii Germaniæ Principes* Eugenium pro Papa iterum agnoscerent, *novo* statim *Diplomate*, dato *eodem* A. 1446. 7. *Id. Febr.* possessionem eorum jurium omnium, quibus *Germaniæ Principes* hactenus juxta *Decreta Basileensia* quoad *Reformationis momenta*, erant usi, confirmavit, litesq; de iisdem motas plane extinctas esse jussit. Longumque illorum jurium, à Germanis illa Basileensi Reformatione partorum, catalogum pertexuit.

Utrumq; diploma exhibuit illustris *Leibnitius* in *Codice Juris Gentiũ Diplomatico, Parte I. fol*, 391. *seqq. Cherubinus* in *Bullario Romano Magno* prius Diploma Eugenianum omisit, posterius quidem, *Tomo I. f.* 372. exhibuit, sed non æque emendatum, ut ab illustri Leibnizio novissime proditum. Beneficio eruditissimi Viri, Dn. *Lucani*, *Secretarii Brandenburgensis* solertissimi, ex *Archivo Halberstadiensi* ejusdem diplomatis Eugeniani posterioris apographum, ex originali bulla ab ipso scriptum, in meas venit manus. Quod cum fidem facere possit recensioni Leibnitianæ, integrum hic exhibere fas erit, nobilissimi *Lucani* manu.

Diploma Eugenii IV. pro juribus Ecclesiæ Germanicæ.

Eugenius Episcopus, servus servorum DEI, ad futuram rei memoriam. Inter cetera desideria cordis nostri, filios quoslibet ad nostram & apostolicæ sedis obedientiam exoptantes adduci, *illorum temporum qualitate pensata aliquando*, concedimus, ordinamus & statuimus, per quæ Christi fidelium tranquillitati & commodis, remotis dissensionibus & scandalis, consulatur, & exinde animarum salutem valeant adipisci. Sane, cum propter dissensionem, inter nos & eos qui Basileæ sub nomine generalis concilii remanserant dudum exortam, nonnulli principes, tam ecclesiastici quam seculares, nationis Germanicæ, in quadam *neutralitate* & animorum suspensione a die decima septima mensis Martii de anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo octavo, usque in præsentem diem se tenuerint, ea mente, ut asserunt, ut postmodum unanimi consensu in nostra & sedis apostolicæ obedientia & reverentia paribus gressibus intendere possent: Et carissimus in Christo filius noster *Fridericus*, *Rex Romanorum* illustris, ac venerabilis frater noster *Theodoricus Archiepiscopus Moguntinensis*, & dilectus filius nobilis vir *Fredericus Marchio Brandenburgensis*, Sacri Imperii Electores, ac venerabiles fratres nostri *Fredericus Magdeburgensis*, *Fredericus Saltzeburgensis* & *Gerardus Bremensis*, Archiepiscopi, ac quidam alii prælati & principes dictæ nationis, nobis debitam obedientiam per suos oratores præstiterint, ac nos solum in Christi Jesu vicarium recognoverint & professi fuerint: Nos, attentis quod dictæ *neutralitatis* & suspensionis *tempore* plurima *in ipsa natione acta*, gesta & facta fuerint, quæ confirmationem, indulgentiam & dispensationem super eis apostolicæ auctoritatis requi-

requirunt, præfatorum, Regis, Archiepiscoporum, Marchionis, ceterorumq; prælatorum & principum supplicationibus inclinati, *omnes & singulas* tam metropolitanorum, quam cathedralium, aliarumque ecclesiarum, nec non dignitatum, etiam abbatialium, ac post pontificales majorum, & in collegiatis ecclesiis principalium, & aliorum beneficiorum ac officiorum ecclesiasticorum quorumcunque, etiamsi ecclesiæ Curatæ, Canonicatus & præbendæ fuerint, *electiones*, postulationes, confirmationes, collationes, provisiones & dispositiones, nec non processus, sententias, aliaque acta judiciaria, auctoritate ordinaria hujusmodi suspensionis & *neutralitatis tempore factas* seu facta, quæ omnia & singula hic haberi volumus pro sufficienter expressis, ac ea rata ac grata habentes, autoritate Apostolica ex certa scientia *confirmamus*. Volentes ac etiam statuentes, ut nulli, qui in possessione Ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, beneficiorum & officiorũ hujusmodi, quacunque, etiam eorum qui Basileæ post translationem & dissolutionem Concilii ibidem remanserunt, auctoritate ea fuerunt assecuti, super hujusmodi ecclesiis, dignitatibus, beneficiis & officiis ac sententiis & processibus, etiamsi in Romana Curia vel extra eam lis, cujus statum præsentibus habemus pro expresso, indecisa pendeat, etiamsi super eis ad ea vel contra ea fuerit alteri jus quæsitum, seu jus aliqui se habere prætenderent, ex nunc in antea in ipsa curia vel extra eam apostolica vel alia quavis auctoritate impeti, aut quomodolibet ex quavis ratione vel causa molestari possint, sed in ipsius possessionibus pacificè remaneant. *Lites* quoque & causas quascunque, super hujusmodi ecclesiis, dignitatibus, beneficiis & officiis *pendentes*, illis duntaxat exceptis, quæ coram ordinariis judicibus, apud quos juxta formam dictæ suspensionis & protestationis exinde secutæ licuit litigare, indecisæ pendent, ad nos advocantes, auctoritate & scientia prædictis *extinguimus*, & super eis adversariis eorum perpetuum silentium imponimus: *Possessores* vero ipsos *volumus* in suis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, beneficiis & officiis *pacificè remanere*: Quibus omnibus ipsas ecclesias, monasteria, dignitates, beneficia & officia, quocunque modo vacaverint, auctoritate & scientia præfatis tenore præsentium *conferimus*, & *providemus* de eisdem: Ac illis, qui *pallium*, dictorum qui Basileæ post nostram translationem sub nomine generalis concilii remanserunt auctoritate, receperunt, ut illo uti possint, præsentibus concedimus & *indulgemus*: Illis autem qui non habent, sine difficultate *dabimus* & etiam libere concedimus, illis tantum personis exceptis, quæ occasione privationum, propter nostram aut Basiliensium adhæsionem factarum, beneficia detinent, in quibus habeat locum provisio & dispositio super his, quæ contra protestationem facta forent per præfatum regem & electores imperii conjunctim vel divisim promulgata. Per hoc autem nulli contendentium super titulo & juribus ecclesiarum Freisingen & Osilien (*) volumus aliquod præjudicium afferri, aut etiam generari, sed liberum sit unicuiq; eorum jus suum prosequi justitia mediante. Præterea omnia & singula quæ dictis suspensione & protestatione durantibus in præjudicium, gravamen vel læsionem Jurisdictionis, juris vel possessionis metropolitanorum, diœcesanorum, principatuum, dominorum terrarum, regis & electorum ac archiepiscoporum prædictorum, nec non aliorum episcoporum, prælatorum, collegiorum, personarum seu rerum quarumcunque, contra fœdus protestationis & suspensionis hujusmodi quomodocunque vergentia, Apostolica vel alia quavis auctoritate concessa, ac in judicio vel extra obtenta, insuper *ecclesiasticas censuras*, mulctas & pœnas, nec non cujuscunque irregularitatis & inhabilitatis maculam, tam a jure quam ab homine propter præmissa quomodolibet promulgatas seu inflictas, promulgandas quoque seu infligendas, quo ad Regem, Archiepiscopos & Marchionem præfatos, eorumque dominia, clericos, subditos & vasallos, & ad eos

(*) De quo utroque Episcopatu, Frisingensi ac Osiliensi, controverso, fuse egit Æneas Sylvius, tunc Secretarius cæsareus, ep. 37. 52. 122. 123.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad eos quoque qui infra sex menses a die dati præsentium computandos se declaraverint pro nobis, aut eidem declarationi adhæserint, *cassamus*, irritamus & annullamus, nulliusque esse decernimus roboris vel momenti, omnem irregularitatis & infamiæ maculam sive notam, per eos præmissorum occasione contractam, penitus abolentes, ac eos rehabilitantes & restituentes ad eorum ecclesias, beneficia, officia, dignitates & honores quæcunque, ac in pristinum statum, & eum in quo erant ante præmissa, reponentes, nec non illis, qui contra ipsos impetratis, concessis, vel obtentis, seu impetrandis, concedendis & obtinendis quomodolibet niterentur, etiamsi eis aut eorum alicui jus quæsitum foret, ex certa scientia de potestatis plenitudine perpetuum silentium imponentes. Insuper quascunque *obligationes super annatis* seu communibus & minutis servitiis ceterisque juribus, nobis & cameræ apostolicæ seu collegio venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium ceterisque officialibus debitis seu quæ deberi dicerentur occasione quarumlibet metropolitanarum & cathedralium ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, officiorum & beneficiorum quorumcunque, *usque in præsentem diem, remittimus*, de nostra liberalitate relaxamus, pariter & donamus, eosque, qui in hujusmodi debitis obligati essent, ab omni eorum solutione absolvimus & etiam liberamus. *Dispensationes* præterea quascunque, nisi tales forent, quas hactenus sedes apostolica concedere non consuevit, *indulta* quoque, *forum conscientiæ respicientia*, etiam in casibus sedi apostolicæ reservatis, nec non novas *provisiones* pro possessoribus, sine præjudicio juris quæsiti, ipsa suspensione durante, vel etiam antea a nobis, aut ab eis qui Basileæ sub nomine concilii remanserunt, aut legatorum suorum, vel alia quavis auctoritate obtentas, impetratas, concessas seu concessa, ac omnia inde secuta a die datæ concessionis earundem, eadem auctoritate *confirmamus*, perinde ac si a nobis impetrata fuissent. Super sententiis autem, in Romana curia vel Basileæ sub nomine generalis concilii ante ipsam suspensionem, vel ea durante in causis quibus uterque litigantium ex ordinario titulo nititur, prolatis, quæ *executioni nondum* sunt *demandatæ*, volumus, statuimus & ordinamus, quod hujusmodi *sententiæ coram judicio ordinario tractentur*, & quicquid utraque pars vellet producere pro jure suo coram eo debeat exhibere. Qui quidem judex, summarie simpliciter & de plano sola facti virtute inspecta procedens, negotium ipsum unica valeat terminare sententia, a qua nulli partium appellare liceat aut provocare vel restitutionem aliquam obtinere. Per hoc autem nullatenus præjudicare intendimus eis, qui possessionem dignitatum, etiam metropolitanarum, cathedralium & abbatialium seu beneficiorum quorumcunque, ordinaria vel alia autoritate sub eadem Natione obtinentes, durante neutralitate vel suspensione prædictis, vigore processuum, in Romana curia vel in Basilea sub nomine generalis concilii obtentorum, aut aliàs violenter fuerunt spoliati. Sed tam spolia quam jura eorum denuo coram judicibus ordinariis cognoscantur, & fine debito terminentur. Insuper omnes & singulas præfatæ nationis, aut, etiam alterius, in ea beneficia vel officia obtinentes personas, ecclesiasticas & seculares, etiamsi regalis, archiepiscopalis, episcopalis vel alterius dignitatis fuerint, *qui* post dissolutionem sive translationem præfati concilii per nos factam *congregationi Basileensi sub nomine generalis concilii adhæserunt*, obediverunt, aut incorporati fuerunt, qui jam ad nostram obedientiam sunt reversi, vel infra sex menses post declarationem nobis factam redierint, seu declarationi ipsi adhæserint, *ab omnibus* & singulis *juramentis*, perjurii reatu, ac aliis censuris & pœnis, si qui tenerentur, aut incurrissent, inflictis, & in tales promulgatis, aut propterea infligendis, auctoritate præfata *absolvimus* & liberamus, ac omnem irregularitatis, inhabilitatis & infamiæ maculam sive notam, exinde quomodolibet forsan contractam, abolemus, & in pristinum statum restituimus & reponi-

reponimus, perinde ac si talia minime emanassent. Præterea omnes & singulas personas Nationis præfatæ, sive alterius etiam, in ea beneficia vel officia sicut præmissum est obtinentes, quæ sub declaratione hujusmodi pro nobis facta vel facienda continebuntur, quæ post hujusmodi concilii translationem Basileæ remanserunt, aut ipsi congregationi adhæserunt, faverunt, officiis in eadem præfuerunt, aut in legatione eorum missi sunt quandoque, aut eis crediderunt, *ab omnibus excommunicationis*, suspensionis, interdicti, aliisque censuris & *pœnis*, in eas per processus nostros aut aliàs inflictis & promulgatis, *absolvimus*, cum his, qui ibidem, seu à provisis ab ipsis aut eorum auctoritate sacros ordines dicto tempore receperant, ut in susceptis ordinibus ministrare valeant *dispensantes*. Volumus insuper, quod *singuli Metropolitani Nationis ejusdem*, actu jam nobis obedientes, vel qui infra sex menses ut præfertur nobis & Apostolicæ sedi debitam obedientiam præbuerint, *consimiles bullas* sive literas apostolicas *habeant*, super quibus petentibus quibuscunque, quotiens opus fuerit, sub eorum sigillis transsumpta concedere valeant, eisque in judicio & extra plena fides sicut originalibus literis per omnia præbeatur. Super *ecclesiis* autem *Treverensi* & *Coloniensi* de quibus in petitionibus Regis, Archiepiscopi Moguntinensis, & Marchionis præfatorum, specialis est positus articulus, per alias nostras literas desuper editas, specialiter *providimus*, prout in eis latius continetur. *Ut* autem *præmissa* eo *firmius observentur*, pro nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu, *pollicemur* omnia & singula *supra dicta inviolabiliter observare*, & contra ea vel ipsorum aliquod in toto vel in parte nullo unquam tempore quicquam innovare: Et quod nobis licere non patimur, eisdem *successoribus indicamus*: Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis etiam apostolica auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit. Quin imo, si *adversus præmissa* litteræ aliquæ aut *mandata*, ad cujuscunque instantiam, vel etiamsi motu proprio seu ex certa scientia, etiam cum derogatoriis clausulis, sub quacunque verborum forma, à nobis seu nostra auctoritate aut ab alio quovis emanassent, seu in futurum emanarent, tales & nunc *pro infectis volumus haberi*: Quodque is, contra quem emanassent, aut concessæ fuissent, aut emanarent, & in futurum concederentur, illis minime obedire teneatur: *Non obstantibus quibuscunque constitutionibus apostolicis*; & etiam cum decreto irritante, quorumcunque tenorum existant, in genere vel in specie, per nos seu prædecessores nostros *concessis*, seu *concedendis privilegiis vel indultis*, de quibus ac totis tenoribus eorum specialis & expressa etiam de verbo ad verbum mentio in nostris litteris foret facienda, nec non quarumcunq; *ecclesiarum statutis* & *consuetudinibus*, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate roboratis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ *confirmationis*, voluntatis, statuti, advocationis, extinctionis, impositionis, collationis, provisionis, concessionis, cassationis, irritationis, annulationis, constitutionis, abolitionis, rehabilitationis, restitutionis, repositionis, remissionis, relaxationis, donationis, absolutionis, liberationis, ordinationis, intentionis, dispensationis, pollicitationis & indicationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. *Dat. Romæ* apud Sanctum Petrum, *anno incarnationis dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, septimo idus Februarii, Pontificatus nostri anno sexto decimo.*

Poggius.

Sigillum plumbeum, rubrâ & flavâ chordâ Bullæ appensum. In quo duo capita Pauli & Petri cum inscriptione: (S.PA.S.PE.) — († EVGENIVS PP. IIII.)

de curia de Thomacellis.

Legati Eugeniani mora.

Quam se ad Germanos missurum dixerat *Legatum* Eugenius, rei prorsus conficiendæ causa, post superiorem *conventionem* quotidie expectabat Imperator. Moras autem quod necteret Eugenius, Imperatorem hoc male habuit. Secretarius Cæsareus, illo tempore clericatum amplexus & sub Diaconus factus, *Æneas Sylvius*, literis 6. Martii A. 1446. datis, Johanni Campisio hanc ægritudinem animi in curia Cæsarea ex dilato adventu Legati Romani exposuit his verbis: *Chiemensis Episcopus ad Rhenum ivit, Electores convenit. Jamque hac die cum eis habiturus est in Francofordia conventum, bonamque spem facit ad unionem pacemque Ecclesiæ. Nescio quid sequetur. Hic magna est admiratio de tarditate Legati vestri. Nam SECUNDUM CONVENTA jam pluribus diebus in hac curia se debebat ostendere, de quo nihil hic sentiri modo scimus. Ingeriturque magna suspicio, quæ possit aliquid mali parere, ut scire possunt, qui intentiones norunt hic habitas. Ex Basilea fuerunt apud nos oratores, quorum petitio fuit, quod Cæsar auctoritatem Ecclesiæ, juxta declarationem Constantiæ factam & Basileæ renovatam, tueretur ac manuteneret. Utque dietam Norimbergensem mandaret teneri, ad quam suos oratores Basileense Concilium cum plena potestate mitteret, super omnibus quæ ad pacem Ecclesiæ pertinent. &c.* Quibus Basileensibus Oratoribus Imperator spopondit suum pro autoritate Ecclesiæ servanda studium perpetuum. Comitia verò nova Noribergensia declinavit.

Interea diem obiit supremum Eugenius, per Legatum promissum re nondum confecta.

CAPUT XII.

De Transactione Nicolaitana, sive Concordia inita inter FRIDERICUM III. Imperatorem *nomine Germanicæ nationis &* NICOLAUM V. *de* Reformatione Ecclesiastica per Germaniam. A. 1447. & A. 1448.

Nicolaus V. confirmavit Interim Eugenianum.

POsthæc visa Ecclesia nacta Halcyonia, vel inducias, quando A. 1447. *Nicolaus V. Papa* Principum Germaniæ *de Ecclesiæ emendatione* repetitas *constitutiones*, in Basileensi ac Constantiensi Conciliis consignatas, ab Eugenio anno superiori confirmatas, suo quoque consensu atque Papali sigillo simpliciter probavit, roboravit, communivit, atque A. 1447. 10. Aug. confirmavit, teste *Cherubino, Bullar. Rom. Magn. Tom. I. f. 372.*

Legatus Papalis venit in Germaniam.

Quod præterea *Eugenius IV.* anno superiori in sua cum Germaniæ Principibus Conventione callido consilio definiverat, se *Legatum Ro. Sedis*, plena autoritate instructum, in Germaniam missurum, qui cum Imperatore ac Principibus plene ageret, desideratamq; Reformationis rem conficeret: Hoc etiam quomodocunque est impletum. Quippe *Johannes Cardinalis*, Ro. Sedis Legatus, *in Germaniam* hoc nomine tandem venit, & cum Principibus, *præsente* etiam Cæsaris nomine *Æneas Sylvio*, tractavit. De quibus igitur inter Principes Germaniæ & Cardinalem Legatum quoad Ecclesiasticæ Reformationis nego-

negotium tunc convenit, ex utraque parte A. 1448. subsignarunt. Quam initam *Germanorum cum Nicolao V. concordiam, reformationis articulos concernentem*, ipse Nicolaus V. Papa absque hæsitatione eodem anno similiter subsignavit, atque edito Diplomate confirmavit.

Non poterat autem Eugenii IV. sagacitas latere, cum per Legatum suum de Germanorum Ecclesiasticis juribus, Reformatione Constantiensi ac Basileensi quæsitis, porro cum Germanis se acturum constitueret. Erat enim hoc consilium in restringendam Germanorum magna jam ex parte impetratam Ecclesiasticam libertatem directum. Ut Legatus iste quædam jura Germanis Principibus, superioribus Reformationibus parta, eriperet, ac priorem Sedis Ro. autoritatem iterum redderet ampliorem. Quod & illis Concordatis sic effectum. *Eugenii IV. sagacitas.*

Etiamsi enim Fridericus III. & Germaniæ Principes, juribus suis Ecclesiasticis jam plerisq; potirentur, aut se potituros imposterum confiderent: Quod tamen pacem publicam amplectendam putarent, eam, invitis tamen quibusdam, cum Pontificis Legato sub Nicolao V. iniverunt pactionem, ut Principes Germaniæ jura isthæc sua in proximis Conciliis quæsita, urgente Legato Pontificis, dividi permitterent. Ut aliqua salva imposterum retineret Natio Germanica, aliqua ad Papam redire concederent Germani, singulis utrinque definitis. Dulcior enim tenuis visa quibusdam buccella panis in quiete & tranquillitate, quam grandis farinæ modius cum continua inquietudine ac lite. Ita ergo ex divisis jam Ecclesiæ Germanicæ juribus *Concordata* emerserunt, A. 1448. d. 17. Febr. in Germania signata, & 14. Cal. April. Romæ confirmata. Quæ sane *Æneæ Sylvii*, Itali, Cæsarei Secretarii ac Consiliarii, qui nomine Cæsaris omnibus his de Reformatione Ecclesiæ negotiis interfuit, ac Cardinalibus Romanæ curiæ Primatibus familiarissimus simul fuit, consilio ac nutu magis in eam formam redacta, quàm Friderici Imperatoris arbitrio. Hic siquidem Æneas, cum Legato Romano facile conspirans, quem anxie antea expectaverat, Imperatoris Friderici animum flectere poterat, quo vellet. Quod & Cardinalis factus & Pontifex, abunde demonstravit. Unde natum *nomen Concordatorum Nationis Germanicæ*. *Æneæ Sylvii cura in Concordatis faciendis.*

Hæc Concordata qualiacunq; inter Nationem Germanicam, Imperatorem scil. Fridericum *& Pontificem Nicolaum V.* edidit A. 1513. Argentinæ *Wimphelingius*, cum *Imperator Maximilianus* Sigismundi, Alberti, ac Friderici Parentis sollicitudinem pro Ecclesiæ salute serio æmularetur, id continuo meditatus.

Commendare satis non potest *Wimphelingius* in præfatione hujus *Nicolai V.* virtutem, Papali sede dignissimam. *Nicolaus V.* inquit, *Thomas Sarzanus prius appellatus, Eugenio IV. in Pontificia sede successit, durante adhuc schismate, quod Felice V. contra Eugenium electo subortum fuerat, A. 1447. Fuit autem pius, justus, Dei cultor, doctorum amicus, & ipse doctissimus sacrarum litterarum interpres, tantæ auctoritatis & gratiæ, ut animos Principum ad bellum jam concitatos aliquamdiu represserit, supplicationes admodum celebres cum clero & populo habuit, liberalis erga literatos, quos & pecunia & officiis ac beneficiis mirifice juvit, quos & præmiis nunc ad lectiones publicas, nunc ad componendum de integro aliquid, nunc ad vertendos Græcos auctores in latinum, perpulit. Misit literatos per totam Europam, quo-* *Nicolai V. elogiũ.*

quorum industria libri conquirerentur. Et Poggius Quintilianum tum invenit. (Wimphelingium hic memoria fefellit, cum in Constantiensi Concilio Quintilianus à Poggio sit repertus) *Ædificavit magnifice & splendide. Templa quædam restituit, quædam à fundamentis erexit. Ejus mandato vici urbis fere omnes strati sunt. Eleemosynas multas in pauperes erogavit, virgines inopes sua pecunia maritis elocavit. Officium nullum vendidit, nec beneficium simoniaca pravitate ductus ulli collocavit. Gratus in bene de se & Ecclesia meritos, amator justitiæ, pacis auctor & conservator, clemens in delinquentes, ceremoniarum diligentissimus observator, nihil quod ad divinum cultum pertineret omittens. Extant vasa auro & margaritis insignita: Extant aulæa auro & argento intertexta: Extat mitra Pontificalis, quæ Nicolai munificentiam ostendunt. Libros sacros exscribi jussit auro & argento redimitos: Bibliothecam Pontificiam mirifice auxit. Religiosos (ut vernaculo vocabulo utar) amavit & juvit. Bernardinum ordinis S. Francisci in sanctos retulit, quod prædicando, docendo, monendo, castigando etiam, factiones Italiæ, Guelpham scil. & Gibellinam, magna ex parte extinxerit, & Christianis hominibus bene beateque vivendi viam ostenderit. Moritur autem hic optimus Pontifex, magno apud posteros desiderio sui relicto, Anno 1455. Eique Calixtus III. eodem anno in Pontificatu succedit.* Consentit cum hoc encomio *Nauclerus, Gen.* 46.

Varia ac præcipuæ editiones Concordatorum.

Præterquam vero quod in paragraphos distinxerit hæc *Concordata* Wimphelingius, argumentis quoque vel summariis instruxit, ac notis illustravit. Sub finem amare conqueritur, suo tempore illam *Nicolai* fidem prorsus iterum expirasse, obsecratque Germanicam nationem, quæ exemplo majorum emendationem à Pontifice *Julio II.* rursus quærat, *Maximiliano Cæsare* opem laturo.

Eandem repetiit *Georgius Branden, JCtus, Presbyter Eysletensis & Canonicus Augustanus*, in principio hujus seculi, in suis *Collectaneis super Concordatis inter Sanctam Sedem Apostolicam & Inclytam nationem Germaniæ.* Quæ *Brandeniana Collectanea* annexa sunt *Praxi Beneficiorum Petri Rebuffi JCti. Col.* 1610.

Ex Brandenio depromsit *Schilterus* Ictus, qui & notis illustravit. Quæ subjuncta sunt celebri opusculo *Francisci Duareni, De sacris Ecclesiæ ministeriis ac beneficiis.* Quod autem *Brandeniana* illa in laudata editione insigniter essent corrupta, tametsi à diversarum editionum mendis studiose dicerentur expurgata, *Schilterus* Brandeniana restituit, *Cherubino* absque dubio collato atque ex Brandenio simul emendato.

Cherubinus eandem *Nicolai V. bullam*, pro Ecclesiæ Germanicæ juribus, suo inseruit *Bullario Romano Magno, Tom. I. f.* 374.

Codice juris Gentium Leibnitiano, fol. 396. *seqq.* exhibita sunt hæc *Concordata*, ut à Germanis & Legato prius erant consignata, Imperatoris & Joannis Cardinalis Ro. Sedis legati manu sub scripta, cum præloquio Germanorum Principum, eorundemque clausula. *Wimphelingius* & alii dederunt cum præloquio Nicolai confirmantis, adeoque jam confirmata.

CAPUT

CAPUT XIII.

De novis Principum Germanorum querelis ob Reformationis Basileensis ac Concordatorum momenta Romæ neglecta & nova Ecclesiarum Germanicarum onera à Calixto III. denuo imposita. A. 1457.

AB obitu Nicolai V. *Calixtum III. Papam*, ut Nicolai successorem ita & illius genii participem in principio fuisse, celebrat *Wimphelingius l. c.* Qui *Friderici III. querelas* non spreverit, nec intenderit aut ordinariorum mensibus derogare aut *Concordatis* istis contravenire. Cujus in hanc rem commendat diploma. *Calixti III. animo in Germanos bonus.*

Verùm, qui Basileensi Concilio interfuerat, in curia *Friderici Imperatoris* per quindecim postea annos *secretarii ac consiliarii Imperialis* characterem tulerat, Cæsari carissimus, *Æneas Sylvius, Italus*, qui superiora Germanorum consilia, longo illo tempore de *Reformatione Germaniæ* agitata viderat, intime inspexerat, sed & ex parte gubernaverat, & hactenus probaverat, & *Concordata* illa parari juverat, Romanis interim familiaris, cum jam A. 1446. in curia Cæsaris, ut commodius emergeret & dignitatibus potiretur majoribus, civilem vitæ conditionem cum sacra permutare cœpisset, *Subdiaconus*, dein *Diaconus* factus, ac porro Senensis *Episcopus* creatus, ab Imperatore Friderico Nicolao V. Papæ ad *Cardinalitiam dignitatem* adipiscendam commendatus, ac à Calixto III. evectus, atq; ita Romanæ parti jam totus devinctus, aliter aut apertius *de Germanorum statutis Reformatoriis* sentire ac consulere cœpit.

Ex illo itaque tempore, quo *Imperatoris Friderici singulari gratia* ac enixa commendatione, quod abunde agnoverat, ac publice prædicabat, *Cardinalis* factus, Romæ egit, Germanica natio pristina onera Ecclesiastica per Ro. curiam sibi rursus imponi sensit ac doluit Longis igitur ac diuturnis illis Principum consultationibus, conventionibus & concordatis, tantum omnino non effectum, ut, quod in Const. ac Basileensi Conciliis de *Ecclesiastica Reformatione* statutum, ac ab Eugenio & Nicolao confirmatum, à Calixto III. constanter admitteretur. *Æneas Sylvius Germanis gravis.*

Quoniam ergo *Ecclesiæ Germanicæ onera* pristina viderentur redire, & *Principum querelæ* sunt renovatæ. *Frequentia* ea de re, quomodo Ecclesiis Germanicis tandem consuleretur, *comitia* iterum habita à Principibus. *Friderico Electore Brandenburgensi, ArchiEpiscopo Magdeburgensi*, aliisque Principibus Ecclesiæ Germanicæ libertatem serio quærentibus. *Nova Comitia Germanorum.*

Interea *Theodericus de Morsa, Elector Coloniensis*, literis ad Æneam Sylvium, Cardinalem illum, & Calixtum III. Papam datis novas *Germanicæ nationis querelas* A. 1457. exponere non est veritus, *Reformationemq;* postulare non dubitavit. *Electorum imperii querelæ.*

Johannes Episcopus Herbipolensis à Collectoribus Papæ in illo Episcopatu collectam pecuniæ summam ex Germania Romam tunc dimittere noluit, sed sibi & Episcopatus usibus vindicavit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quod cum indignissime ferret Ro. curia, ac Episcopo Herbipolensi dira minaretur fata, causam Episcopi egit *Theodericus Erbacensis, Elector Moguntinus, ArchiEpiscopus*, isque Episcopum Herbipolensem jure hoc fecisse contestatus est.

Idem quoque *Moguntinus Elector*, per Cancellarium suum *Martinum Majorem, Æneæ*, Cardinali Senensi, *Principum Germaniæ querelas, decem* insignia *Gravamina pristina* complexas, sæpius per literas & nuncios aperuit, ac quod novam atque *efficaciorem* in Germania molirentur *reformationem* nunciavit.

Quod brevis sit, sed ponderosa, prima in his *Cancellarii Moguntini Epistola*, quæ *consilia Germanorum Principum* illius temporis, *pro Ecclesia Germanica reformanda*, clarissime pingat, & hic legisse juverit.

Gravamina Germaniæ rationis repetita.

Cognovi, inquit, *ex literis amicorum, te Cardinalem esse creatum. Congratulor & tibi, qui pro tua virtute digna consecutus es præmia, & mihi, cujus amicus in ea dignitate constitutus est, in qua me meosque necessarios aliquando juvare poterit. Illud mihi molestum, quod in ea tempora incidisti, quæ sedem Apostolicam afflictura videntur. Nam Domino meo* ARCHI-EPISCOPO (*Moguntinensi, Theoderico ab Erpach*) *frequentes afferuntur* de Romano Pontifice (*Calixto III.*) querelæ, qui neque CONSTANTIENSIS *neque* BASILEENSIS DECRETA CONCILII *custodit, neque se pactionibus antecessoris sui* (Nicolai V.) *teneri arbitratur*, NATIONEMQUE NOSTRAM *contemnere & prorsus exhaurire videtur. Constat enim, electiones Prælatorum passim rejici, beneficia dignitatesque cujusvis qualitatis & Cardinalibus & protonotariis reservari. Et tu quidem ad tres provincias teutonici nominis, sub ea formula reservationem impetrasti, quæ hactenus insolita est & inaudita. Expectativæ enim gratiæ sine numero conceduntur. Annatæ sive medii fructus absque ulla dilatione temporis exiguntur, & plus etiam quam debeatur extorqueri palam est. Ecclesiarum regimina non magis merenti, sed plus offerenti committuntur. Ad corradendas pecunias novæ indulgentiæ indies conceduntur. Decimarum etiam exactiones inconsultis prælatis nostris Turcorum causa fieri jubentur. Causæ, quæ tractandæ terminandæque in partibus fuerant, ad apostolicum tribunal indistincte trahuntur. Excogitantur mille modi, quibus Romana sedes aurum ex nobis, tanquam ex barbaris, subtili extrahat ingenio. Ob quas res nostra natio, quondam inclyta, quæ sua virtute suoque sangvine Romanum imperium coëmit, fuitque mundi domina ac Regina, nunc ad inopiam redacta, ancilla & tributaria facta est; & in squalore jacens, suam fortunam, suam pauperiem, multos jam annos meret.* Nunc verò quasi ex somno excitati Optimates nostri, quibus remediis huic calamitati obviam pergant, cogitare cœperunt, jugumque prorsus excutere & se in pristinam vindicare libertatem decreverunt. *Erit hæc non parva jactura Romanæ curiæ, si, quod cogitant Romani Imperii Principes, effecerint. Quantum itaque de tua nova dignitate lætor, tantum commoveor & angor, tuo tempore hoc parari. Sed Dei fortasse alia est cogitatio, & illius profecto sententia obtinebit. Tu interim bonum habeto animum, & quibus repagulis fluminis impetus coerceri possit, pro tua sapientia cogitato, & vale optime. Ex Aschaffenburga, Calendis Septembr.* M. CCCC LVII.

Haud longe post, quando hic *Moguntinensis Cancellarius* denuo ad Sylvium tanquam veterem amicum scripsit, *Secretarius Moguntinensis Wigandus*, ad Papam ablegatus, nomine Cancellarii *Gravamina* superiora repetiit ac Cardinali Senensi coram explicuit. Ne ignoraret, quid Germani pro suæ Ecclesiæ libertate molirentur.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Astu Sylviano, sive impenso illo apud Germanos *desiderio* novi Concilii universalis ad reformandam Ecclesiam, *eluso per* Æneam Sylvium Cardinalem.

A. 1457. & 1458.

POstquam cum aliis Principibus Germaniæ *Cancellarius Moguntinus*, nomine *Electoris Moguntini*, Germanorum desiderium Æneæ Sylvio Cardinali plus simplici vice exposuisset, qui à Basileensi Concilio finito, decennioque jam abinde elapso, *novum Generale Concilium* expectarent, *ad Reformandam Ecclesiam*: Eneas Sylvius hoc *Germanorum desiderium* ineptiæ publice accusare cœpit, neque Concilium universale novum Germanis indulgendum esse aperte affirmavit. Tantoque hoc egisse apparet sollicitius, quanto certius pro sua sagacitate augurarretur, se ad sedem Papalem aliquando emersurum. Qua sollicitudine meruit sequenti statim anno summus creari Pontifex. Ut non vana essent ejus consilia, quibus Constantiensis ac Basileensis Concilii decreta enervarentur atque eluderentur, omnisque tamdiu tentata Reformatio extingueretur. Noverat hic Cardinalis intime & Imperatoris mitissimi & Principum Germaniæ animos atque consilia, noverat etiam in regimine sacro & civili vires Germanorum, ut & rationem illas debilitandi atque frangendi, qui ultra viginti annos in Germania & inter Magnates quidem ac Principes versatus, inque ipsa Cæsarea aula ad publica nec pauca arcana imperii negotia, sacra maxime, admissus.

Germani novum Concilium Generale desiderarunt.

Pro sua igitur incomparabili eruditione, genii promptitudine admirabili, prudentiaque, arduis negotiis inter ipsos Germanos eorumque aulas dudum subacta, *literarum arma* tutissima atque validissima fore intellexit, *quibus Germanorum consilia*, novaque *de Reformatione desideria expugnaret.*

Æneas Cardinalis Germanorũ consilia fregit.

Periculum ejus rei fecit, ut in hac arte erat exercitatissimus. Ita *Colonienſi Electori* conquerenti mollissime respondit 4. *Non. Decembr.* 1457. Fiduciam suam & Pontificis, in hunc Electorem positam, ante omnia testatur, qui nihil in illis *Principum conventibus* concludi sit admissurus, quod Ro. curiæ adversetur. Pontificem certiorem factum ait, in *Conventionibus, quæ tunc in Germania inter Principes fierent*, aliqua jam tractari quæ Ro. sedem concernerent. Rogat proinde hunc Electorem, qui aures illis consiliis non præbeat, quibus Ro. sedis autoritas diminuatur. Quod persuadere satagit hoc colore: Si Ro. sedis autoritas deprimatur, simul & hujus Archi-Episcopi Coloniensis & aliorum Episcoporum autoritatem collapsuram. Votum ac *desiderium Electoris, ut Romæ quoque ea reformentur*, quæ odium Germanicæ nationis pariant, non repudiat, sed se in id elaboraturum pollicetur. Testaturque omnino, cum dissimulari non posset, *Romæ aliqua committi, quæ non laudet omnia.* Ut igitur Ele-

Colonienſis Elector à Germanorum Consiliis avocatur.

ctori

ctori Colonienſi conſilium ſuggerat, & *à ſententia ferenda Germanos Principes avocet*, ſuadet, *gravamina Germanorum* ad ipſum Pontificem deferre, qui, ſi juſta petant, votis ſit reſponſurus. Suam præterea integritatem & in Germanos affectionem explicat, qui quæ Germanicæ nationis honori atque commodo cedant, ſollicite ſit curaturus, utpote cujus ſe æſtimet membrum. Maxime quod & à Colonienſi hoc Electore multis olim ſit affectus beneficiis. Obſecrat poſtremo, quæ in ditionibus hujus Electoris ab ipſo ſit commenda Romæ impetrata, ne impediat, & ſuos officiales libere agere permittat.

Moguntinus Elector minis à Germanorum inſtituto abſterritus.

Electori Moguntino, calamo *Æneæ*, ſed pleniore magisque onerofo, reſpondit ipſe *Calixtus III. d.* 15. *Octob. A.* 1457. Excuſat Electorem Moguntinum, (qui Herbipolenſem Epiſcopum tueatur,) eo nomine, quod Elector cauſam Epiſcopi integram non probe habeat perſpectam. Intolerabilem ſcilicet eſſe ac deteſtandam Epiſcopi præſumptionem, qui *pecunias*, *autoritate apoſtolica in Epiſcopatu Herbipolenſi collectas* ac ſervatas, ſibi vindicaverit. Monitum à Papa, qui *pecuniam* ſolveret, & *ex Germania in Italiam ablegaret*, mandata Romana contemſiſſe, probrisque porro affeciſſe: Nuncios Papales qui Ro. curiæ jura urgerent, ab Epiſcopo in ſuo Epiſcopatu Herbipolenſi non ſolum non toleratos, ſed ex territorio ejectos, non recedere ſed & fugere compuliſſe. Excuſationem Epiſcopi non admittit, quod illæ *pecuniæ ex Nicolai V. conſtitutione ad Ro. curiam non pertineant*. Romanum Pontificem de talibus pecuniis liberam, ait, diſponendi habere poteſtatem. Septem menſibus expectaſſe Papam Epiſcopi ſubmiſſionem atque ſolutionem, ſed absque fructu. Primum illum fuiſſe à ſe pronunciatum in ſuo Papatu Epiſcopum, quem tam pertinacem ſibique adverſum doleat. Juramentum urget Epiſcopi, Pontifici ſibi per Procuratores Epiſcopi præſtitum. Monet dein Electorem Moguntinum, diſponat Herbipolenſem *ad ſolutionem Cameræ Ro. præſtandam.*

Imperator blanditiis pellectus.

Imperatorem quoque ipſum, *Fridericum III.* Principum Germaniæ conſilia hac in re moderaturum, non intermiſit *Calixtus* literis bullisve per *Æneam* ablegatis 8. *Cal. Dec.* abſtrahere à cœpto, atque ad curiæ Ro. devotionem revocare.

Electores mitigati.

Similis argumenti literas *Electoribus Imperii* tradi juſſit, ut animi eorum diſtraherentur, aut à negotio iſthoc avocarentur.

Archiepiſcopi abſtracti.

Archi Epiſcopum Magdeburgenſem & *Rigenſem*, *Trevirenſem* ac *Salzburgenſem*, in tales *Principum Germanorum conventiones de rebus Eccleſiæ* ne conſentirent, animare ſtuduit.

Palatinum Rheni per Ludovicum Bavariæ Ducem à Comitiis illis & Eccleſiæ negotio abſtrahere contendit.

Æneæ promiſſa.

Rei gravitatem ac periculum cum ſentiret Papa, per *Æneam* hoc Principibus ingeri ac inculcari diligenter voluit: Multo facilius Principum filios per Pontificem iri promotum, quàm per Capitula vel ordinarios in Germania.

Quas *Calixtus* ad Imperatorem in illo *negotio*, *Eccleſiæ Germanicæ* à

cæ à Ro. curia separandæ, dederat literas, Romanæ curiæ ministris in Germania agentibus communicare non destitit, eos rogitans, Curiæ Ro. constanter adhærerent, ejusque incolumitatem promoverent. *Intelleximus*, scribit ad Henricum Lembrig, Notarium suum, per Æneam, *veridico relatu, nonnullos esse Principes Germanicæ nationis, Ecclesiasticos & seculares, qui de nobis & de nostra curia murmurantes, Germanicam nationem nimium per nos gravari prætendunt. Id faciunt more hominum, qui sæpe bonum quod habent non cognoscunt, nec sub alicujus regimine quantumcunque optimo quiescere possunt. Scimus te devotum esse sanctæ sedi Apostolicæ & nostri honoris cupidum, nec placere tibi ea quæ præter ordinem fiunt &c.*

Ministri Pontificis in Germania ad Ro. Curiæ fidem animati.

Similiter ad *Nicolaum, Cardinalem S. Petri ad vincula, in Germania agentem*, ita scripsit *Calixtus Papa. Consideravimus diligenter ea quæ nobis scripsisti super practicis, quas nonnulli Principes ac Prælati in partibus Rheni tenere dicuntur in negotiis Ecclesiæ. Perpendimus quoque consilium tuum salubre & optimum esse*, nempe ad Imperatorem ea de re scribendi. Uti quoq; factum nunciat, qui per Æneæ callidam & blandam eloquentiam *Imperatoris animum* vehementer flexit. Adeo ut *Imperatorem* quoque, delinitum, *aliis Principibus Germanis* Ro. curiæ adversantibus *opponi* commode posse judicaret Calixtus cum Ænea. Quod sollicite sæpe per Æneam quæsitum à Friderico.

Consilium, Imperatorem Principibus opponendi.

Sed & *Cancellarii Moguntini* pro reformatione Ecclesiastici status in Germania studium tantum valuit apud *Æneam Cardinalem*, ut privato primùm breviore, dein aperto publicoque & longo scripto refellere non dubitaret. Præstitit hoc paucis mensibus absque temporis dispendio multo, pro excitatissimo igneoque suo ingenio.

Conquerenti Cancellario Moguntino multis literis respondit Æneas Cardin.

Quod & per *VVigandum, Electoris Moguntini secretarium*, in Italiam ablegatum, de Reformatione Ecclesiastica à Germanis serio tractanda, Æneæ exposuerat *Moguntinensis Cancellarius, arguta* statim *epistola*, mollissimis affectibus exuberante, diluere allaboravit *Æneas*, 12. *Octob. ejusdem anni* 1457.

Paulo post *d.* 20. *Octob.* eidem Cancellario Moguntino pollicitus est, se curaturum, *ne Concordatis derogetur*. Qui sit persuasus, tunc Germanicæ nationi non fore causam querelæ, si *pacta* serventur. *Gratiis* & *Reservationibus Papalibus* non intendi, ut per illas *Concordatis* quid detrahatur.

Idem promisit Æneas & *Principibus Germaniæ* & *privatis viris doctis Germanis*, interpretibus literis frequentibus.

Ceterum amplissimæ pro Ro. curia apologiæ, & toties quæsitæ *Germanicæ reformationis publico repudio*, argutissimus Cardinalis Æneas hoc dedit nomen: *Descriptio de ritu, situ, moribus & conditione Germaniæ.* Prodiit mox *Lipsiæ*, inventâ nuper typographiâ, eodem seculo, typis excusum, publicum hoc ænei pectoris monumentum. Repetitum dein *Argentinæ A.* 1515. nomine *Germaniæ Æneæ Sylvii.*

Publicum Reformationis Germanicæ repudium Sylvianũ.

In Epistolis ejus, *Coloniæ* per *Joh. Kælhoff de Lubek*, *A.* 1478. edi-

tis, epistola 228 refert brevissimam quandam duntaxat particulam totius hujus libelli, eamque valde mutatam. Sive prolixitas voluminis prævisa prohiberet totum librum sive integram ad Mejerum epistolam inserere, sive editor Coloniensis Germanicæ nationis vellicatæ habuerit rationem, ut dissimulandam putarat integram epistolam.

Æneæ Sylvii in respondendo argutia.

Inscripsit Æneas argutas has suas Romanæ sedis vindicias *Antonio, S. Chrysogoni Cardinali Presbytero, & Episcopo Nerolensi.* Magnam animi sui ægritudinem, ex ferali & acrimonia plena *Mejeri epistola* lecta conceptam, stomachabundus subindicat. Amicitiæ interim, olim cum Mejero in Germania jam in Basileensi Concilio contractæ, memor, Mejeri invidiam molliter ac perhumaniter declinare studet. Quare ei se non imputare illam acerbitatem, scribit. Quoniam id scripserit quod audiverit, feceritque ex dato corio calceum. Fateturque ita, non ex Mejeri ingenio *querelas* istas esse natas, sed *inter Germanos frequentatas publiceque proditas* ab eo esse admissas.

Quare, ut affectui Mejeri magis inserviat, hanc querelarum denunciationem officii & amicitiæ genus blande interpretatur: Qui tenuerit amicorum consuetudinem, qui & secunda & adversa absentibus nota faciant amicis. In *Germanos* igitur *quosdam* invehitur, Ro. sedis inimicos. Suum dein memorat institutum, confutandi quæ primæ sedi objiciantur. Prolixitatem operis excusat, ex ampla materia natam. Artem & ingenii vim à se adhibitam, in argumentis omnis generis, philosophicis ac Theologicis, advehendis, non dissimulat. Cum non facile argutius quisquam & ornatius pro Sedis Ro. dignitate dimicaverit. Humilius tamen, (quibus erat affectuum insidiis ubique instructus) de suo hoc ipse judicat labore, ad fascinandum artificiose lectorem, omnemque arrogantiæ speciem declinandam. Altius se volasse, pro sua scribit modestia, quam alis ferri suis possit, qui metuat lapsum. Censuram itaque & calculum *Cardinalis Antonii*, quem ab omni doctrinæ genere commendat, humanissime petit. *Rom. Kal. Febr. A.* 1458.

Plenius hic legisse juverit *Argumentum Operis* hujus ingeniosi *Sylviani, quod desiderato à Germanis novo* juxta Concilii Constantiensis decretum *universali Concilio, & Ecclesiasticæ reformationi* toties efflagitatæ *opposuit.*

Literis & artibus probe instructus *Æneas*, privatum negotium, *de Cardinalitia dignitate* gratulationem Cancellarii Mejeri, mollissimo affectu excipit Cap. I. Publicam vero causam, ad *Romanam sedem* spectantem, toto libro graviter sed & callide tractat.

Gravamina Germanorum extenuata.

Conquerenti Mejero de *Germanis à Romana curia pressis* minatur ante omnia Capite II. cum *fabulis* tales sectetur, *cum perditum iri, nisi è schola erroris & officina veneni pedem retrahat.* Simulat interim *se errantem correcturum, ne cogatur pereuntem, si taceret, flere.* Se ostensurum pollicetur, *gravamina, quibus Germania dicatur opprimi*, vel nulla esse, vel longe minora, quam putentur: Dein,

Dein, *Germanicam nationem non esse inopem, sed divitem, florentem, bonis omnibus abundantem.* *Germaniæ opulentia.*

Cap. III. Querelam Mejeri, *non servatas esse à Romanis Pontificibus constitutiones Concilii Constantiensis*, callide repudiat, magnis laudibus efferendo Concilium Constantiense, ob quietem in sede Romana paratam, ob exustos Johannem Huss & Hieronymum Pragensem &c. Neque in ullo articulo ab ejus decretis abiisse Pontificem. Oblique interim subindicat, fas esse Pontificibus, à constitutionibus Synodalibus vel conciliorum abire. *Distingvit ergo inter legem divinam utpote immutabilem, & legem synodalem, quæ quidem venerabilis sit, sed Romani Pontificis arbitrio, si ratio exigat, abroganda.* *Jus Pontificum decreta Concilii mutandi.*

Cap. IV. Attingit caute *decretum concilii Constantiensis*, in quod collimaverat Mejerus: *Singulis decenniis imposterum generale concilium esse habendum.* Quæ lex non servata ansam dat Æneæ curiam Romanam purgandi, sed & Germanos exagitandi *concilii desiderio.* *Omnes*, inquit, *tuæ nationis homines, qui paululum docti sunt, quædam concilii cupido exagitat. Nam cum Synodi celebrantur, Episcopi vestri domi remanent: Vos concilium petitis, ibique laute vivitis, sumptibus alienis, & regentes orbem in magnos & admirabiles evaditis viros. Hinc voces illæ, conciliorum auctoritas salubris atque æterna est, mundum concilio regendum, ad concilium cuncta referenda esse, sine concilio nihil esse quod recte perfici queat. Privata vos trahit utilitas & crescendi cupido.* Ideo concilia à Germanis urgeri ait, ut obscuri in seditionibus & motibus emergant ac illustrentur. Uti voluptatem & gloriam, ita & lucrum causam esse addit tam impense quæsitorum conciliorum. *Cum lucra vestra damnosa esse prælatis non ignoratis*, inquit, *ingenio subtili & peracuto concilium ab eis petendum suadetis, in quo sedis Apostolicæ summum in eos arbitrium coarctetur. Et quemadmodum vos eos coarctatis, ita & illis Apostolicum solium corrodendum esse offertis. Ac finito conventu Episcopi expenso argento nihil plus dignitatis quam prius habent. Vos aucti auro, beneficiis cumulati, existimatione magnificati, domum reditis. Quid mirum si concilium amatis, & eos quæritis ventos, qui alienam navim ad vestrum littus illidant? Aliena miseria vestra felicitas est: bellum vobis pace salubrius, & tempestas quiete melior.* *Concilii Constantien. decretũ de frequentibus Conciliis limitatũ.* *Unde frequens Concilii desiderium apud Germanos.*

Qui accusaverat Germanos male quæsitorum conciliorum, & calliditatis maculam præ religionis nota Germanis impresserat, *causam* illam esse ait *doloris Germanici*, quod à Basileensi Concilio decennium & ultra effluxerit absque spe novi concilii: atque ita illos queri, *Constitutionem Constantiensem, de concilio singulis decenniis cogendo*, à Romana curia violatam. Hoc igitur ut neget, Constantiensis Concilii mentem evolvit, qua *constitutionem* illam *limitatam* voluerit, si non sit noxia futura Synodus nova. *Non, ut cogi concilium oporteret, etiamsi noxia congregatio videretur. Publicam semper utilitatem legis observantia quærit*, infit. *Quod si vergit in noxium, vigor ex lege defluxit.* Quare, ut se magis extricet, *legum humanarum indolem* illustrat, quæ ferri & deleri pro ratione possint. *Est, ut Philosophi tradunt, lex quædam naturalis, quam rectam rationem imperandi prohibendique possumus appellare, quam qui ignorat injustus est: sive illa scripta sit uspiam, sive nusquam. Et ad hanc quidem referenda sunt hominum instituta, ut inveniantur Reipublicæ salutaria, humanam tamen nullam legem constat esse perpetuam. Humanas dicimus, quas homines sanciunt, quæ modo vim habent, modo amittunt. In tempore namque oriuntur & in tempore occidunt. Ex quo tritum est illud apud juris interpretes sermone proverbium, humana statuta secundum tempora variari.* *Legum humanarum infirmitas.*

Ut verò tacitæ *objectioni Germanorum* respondeat, *jus non esse Papæ, concilii universalis statuta mutandi vel abrogandi*, callide ad dominium eminens Papæ confugit, & *exemplo juris Principum in leges suas civiles* munit *jus Papæ in leges Concilii*, disparitatem prorsus dissimulans. *Cum mutæ*, ait, *per se leges existant, neque se ipsas valeant interpretari, nec omnia comprehendere: Necessario Principem esse oportuit in Republica, qui legum modo duritiem leniret, modo molliciem coërceret, loqueretur q; cum* *Jus Papæ in Concilium.*

illæ silent, & cum nimium esset illarum loquacitas silentium indiceret. Hoc jus in Concilia Romanis Pontificibus competere supponit. *In Ecclesia Catholica hoc munus Romanis Pontificibus creditum est, quod nemo qui sapiat inficiatus est unquam, Generalium conciliorum sanctiones sive interpretari, sive corrigere atque abrogare posse.*

Concilia Germanorum non prosunt Curiæ Ro.

Neque nunc amplius celare potest, *cur de Concilio novo congregando sanctio Constantiensis fuerit à Pontifice suspensa:* Quod *non* videretur *profutura curiæ Romanæ.* Utpote quæ nec cum Basileensi fuerit contenta, cujus damna persenserit curia Romana. Basileense Concilium irrepsisse magis, quam à Pontifice convocatum esse. *Basileensium non fuit consilium novum congregare concilium. Etenim cum pluribus annis in Basilea Synodus modo vera, modo reproba, consedisset, graveq; motus in Christiano populo excitasset, visum ex usu est, Constantiensis Concilii sanctionem hoc tempore suspendendam esse.*

Concilia dissuadet Æneas.

Hinc postremò memor *damnorum, quæ sedes Romana cepit ex Concilio Basileensi,* in conciliorum incommoda in genere invehitur. *Neque generales conventus sine magna universalis Ecclesiæ novitate, sine gravamine, sine tumultu, sine vexatione coguntur.*

Rarissima proinde *concilia* suadet, hac specie, ne illorum frequentia autoritati quid detrahat. *Magna est expectatio Conciliorum. Maximas esse causas oportet, ob quas clerus omnis in unum conveniat. Quia si sæpius concilia celebrentur, vilescat eorum autoritas nimio usu necesse est.*

Concilia non necessaria.

Cap. V. Ut contra Germanos eorumque de Concilio congregando desiderium fortius pugnet Æneas, fingit *duas causas,* more Oratoris, *ob quas forte Concilium* hactenus dilatum *fuisset convocandum:* Ad contentiones Pontificiæ sedis Candidatorum dirimendas, & ad bellum adversus Turcos instruendum. Interim dissimulat *veram causam, quæ Germanos ad Concilium quærendum urgeat & compellat: Cleri & rerum sacrarum emendationem.* Illas itaque duas rationes non sufficisse memorat ad novum Concilium cogendum. Cum & *lites Romanæ de sede Papali* citra Concilium felicius sint compositæ, quæ in concilio forte non componendæ, sed alendæ fuissent. Quo oblique pungit Germanorum querelas vel odium corruptæ sedis Romanæ, à quò Germanorum affectu curia Romana in Concilio sibi parum auspicati videbatur augurari. *Bellum adversus Turcos* itidem citra concilium, à Pontifice præsente, Calixto, feliciter instructum commendat, suseque extollit, apparatum Papæ ad hoc bellum, stragesque in hoste editas, omnemq; gloriam tribuit Papæ providentiæ & curæ. Quod autem sub antecessore Nicolao Papa Constantinopolim à Turcis expugnatam negare non posset, culpam à Papa amolitur, & non illius negligentiæ sed Græcorum perfidiæ adscribendum esse pronunciat. Ut ergo Conciliorum usum magis deprimat, Calixti facta à Concilio non posse instrui gloriatur, utpote *in quo tot soleant esse sententiæ, quot capita.*

Germani duo habuerunt concilia.

Cap. VI. Abusum exaggerat, qui inter *Legatos ad Concilium confluentes* notetur, qui de prærogativa sedis & potiori loco contendant. Ut adeo illius mali causa concilia sint declinanda. Exprobrat dein Germanis singularem gratiam Pontificis, qui *duobus conciliis in Germania habitis sint beati.* Sufficere illis hanc gratiam. Ulterioremque spem Concilii inter Germanos præscindit, eo nomine, quod & alii nationi, si quæ Synodus sit congreganda, debeatur.

Decimæ germanis impositæ.

Cap. VII. *Decimas Germanis impositas* vindicat, ex eo, quod opus illis sit pro tuenda religione Christiana. Deinde, quod ex decimis nulla Germanis nata sit molestia. *Quæstoris* cujusdam *Coloniensis,* qui Colonienses presserit, culpam excusat, quod non apostolicus, sed apostolici legati is fuerit nuncius. Mejerum, porro *de constitutionibus Synodalibus Basileensibus in Romana Curia neglectis* querentem, graviter increpat, qui litem sopitam renovare conetur, ut qui tectum altis cineribus suscitet ignem.

Cap. VIII. Ut Mejerum tanto fortius repellat & Germanos ab hac infesta querela deterreat, *Basileensis Concilii originem* describit & prima fata. Quod ex decreto Concilii Constantiensis novum quidem proxime fuisset cogendum, verum

verum quod illius coactio tum ratione loci, tum ratione assessorum & præsidum multas habuerit controversias.

Cap. IX. Græcos quoque ad hanc Synodum ait vocatos, ut ad Romanæ Ecclesiæ unionem perducerentur. Venisse quoque ad Eugenium Florentiam, & in celebri synodo symbolum fidei de processione Spiritus S. cum latina Ecclesia decantasse, sed postea iterum desciviſse, refert. *Risisse Orientem Latinorum vesaniam, qui sibi ipsi dissentientes aliorum unionem perquirerent.* *Græci riserunt Romanos.*

Cap. X. Cum pars novi Concilii *Basileæ*, pars apud Eugenium *Florentiæ* ageret, Eugenium Basileenses Patres diris devovisse & ab Ecclesia exclusisse, illos Eugenio summum Pontificatum interdixisse, ac Amadeum Sabaudiæ Ducem pro Eugenio surrogasse & Felicem V. appellatum, memorat. Dum scissa sic Ecclesia, aliis Eugenium sequentibus, aliis Felicem V. Sabaudum, *Germanos neutralitatem quandam induisse*, & diu postea nullius partis mandata suscepisse, sub suorum Episcoporum regimine. Multos dein in Germania conventus habitos, usque ad ultimum annum Eugenii. Quo decumbente, missos ab Imperatore Friderico, Germanicæ nationis nomine, qui neutralitatem eorum abdicarent, obtentis literis, quibus desiderio eorum fieret satis. Legatos fuisse se (Æneam) cum collega Procopio nobili equite Bohemo & aliis. *Germani Neutrales.*

Cap. XI. Ab obitu Eugenii Nicolaum V. suffectum. Sed de obedientia, Nicolao in Synodo præsenti præstanda, longas fuisse controversias, aliis omnia Concilii Basileensis decreta suscipienda esse urgentibus, aliis Papæ, illis tamen salvis, obediendum, aliis concilii illius legibus nullam prorsus inesse vim ob Eugenii contradictionem asserentibus. Eo tandem rem devenisse, ut componeretur, ut quædam decreta Concilii Basileensis reciperentur, reliqua rejecta viderentur. Unde colligit, Mejerum male accusasse sedem Romanam, quæ indefinite loquendo decreta Basileensia reprobaverit aut contaminaverit. Cum ad alia statuta servanda non obligetur sedes Romana, quam quæ admiserit. *Obedientia difficulter à Germanis Papæ reddita.*

Cap. XII. Querelam Mejeri & Germanorum, *decretum Basileense & conventionem de Electionibus personarum Ecclesiasticarum in Germania, à Romano Pontifice non servari, qui Electionibus Germanorum cunctis contradicat*, declinat, decreti & formulæ concordiæ de Electionibus sensum exponens: In officiis minoribus, si canonice fuerit à Germanis facta Electio, eam à Pontifice confirmari, nisi Pontifex Romanus personam magis idoneam surroget: In dignitatibus autem vel primis post Pontificales, vel in Collegiatis Ecclesiis principalibus, liberam relictam Rom. præsuli providendi facultatem. *Electiones Papales.*

Cap. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. Longa serie recenset exempla Episcoporum, quos à Canonicis Germanis electos indulserit & confirmaverit Pontifex.

Cap. XVIII. Contendit cum Mejero & Germanis, quos *garrulos* appellat, *qui ad pactata semper provocent*, & minimos augentes excessus irritare & incendere principum animos soleant, & ad res novas urgeant. Illudit dein Germanis: *Infimæ plebis homines, postquam literas aliquas didicere, bello magis quam otio ditantur. Inque turbidis motibus sacerdotia adipiscuntur & præfecturas. Injuriosa est, inquiunt, Romana sedes, quæ nullis favet electionibus: Concilia spernit, nationem velut ancillam habet. Surgite conventus, agite, excutite jugum: Si nequimus priscam resumere gloriam, at saltem liberi simus.* Argumentum dein invertit callide, atque ideo Germanos electionis jus sibi arrogare ait, ut principes contemnant, & plebejos ad cessa officia sacra efferant, ut habeant quos non timeant ac revereantur. *Germani pactorum tenaces.*

Cap. XIX. Ex pravo isto Germanorum consilio, jugum superiorum excutiendi, ortum speciose urget, *quod rari Principes fiant Episcopi*, quod ex plebejis vel minoribus nobilibus plerumque constent Collegia, præter Coloniense & Argentinense, ubi capitula ex Illustrioribus constent domibus. Quâ occasione quæstionem discutit, *quid magis expediat, an viris celso sanguine, an humili loco natis, Ecclesiæ melius committantur?* Romanam Ecclesiam præferre illos, capitula hos. *Episcopi ex nobili genere fiant.*

Sententiæ Romanæ accedit, & illustribus viris Ecclesias committendas affirmat, non humili loco natis. *Illustres enim viri, cum progenitorum imagines ante oculos habeant, & multa incitamenta virtutum, perraro à probitate declinant, cum paternos in filiis mores plerumque recognoscamus. Cum vero in reverentia habentur, neque rebellant subditi, neque insultant vicini. Latet enim quædam vis in nobilitate, quæ populorum sibi nobilitatem vel attrahit vel conciliat. Contra vero Ecclesiam ignobili prælato commissam, & cives & exteri dilacerant. Neque quisquam est tam infimæ plebis homo, qui Ecclesiam pro sua virili non expilet, alius agrum, alius domum, alius vineam surripit. Hic decimam, ille censum præstare recusat. Atque in hunc modum Ecclesiæ, quæ olim opulentissimæ fuerunt, ad egestatem sunt perductæ.*

Nobilitatis prærogativa.

Ut magis invisos reddat Magnatibus Germanam plebem, alio utitur argumento specioso: *Quod Ecclesias ipsas principes excitarint dotarintque: Quæ si filiis eorum negarentur, verendum esse, ne tanquam ingratis divino judicio temporalia subducantur bona.* Extollit nobilium virtutem amplius: *In viro nobili plus præ se ferre luminis mediocrem virtutem, quam in plebejo summam: Cum hæc ficta caducaque censeatur, illa vera æternaque æstimetur.* Hoc agere apostolicam sedem, capitula vero principum potentiam odisse & effugere.

Jus Ro. curiæ in Ecclesias.

Cap. XX. Repetit jus Romanæ curiæ, uti confirmandi, ita substituendi meliorem personam, quam sit electa. Ut Ecclesiis viduatis ita consulat Pontifex, quemadmodum electorum ejus videatur consilium.

Reservationes Papales moderanda.

Cap. XXI. *Beneficia* autem, *gratias expectativas, in Germania reservari à Pontifice*, conquestus Mejerus, audit, in dignitatibus superioribus id juste fieri. Detestatur interim Æneas modum, morti alterius imminendi ad impetrandum beneficium, aut *votum captandæ mortis.* Laudat Pontificem præsentem Calixtum, qui gratias expectativas abolere voluerit. Dispensandi interim jus Pontifici non prorsus denegandum. *Moderatio*, ait, *quam cuncti probant, medium servat.*

Æneæ Sylvii fortuna inter Germanos.

Cap. XXII. De amplis *reservationibus suis* iisque beneficiis Ecclesiasticis, in tribus Germaniæ provinciis, tribus nempe Episcopatibus, à Mejero objectis, mollissime loquitur Æneas. Ut se non indignum istis Germanicis beneficiis monstret, sua in Germaniam merita enumerat. Qui longissimo tempore à primo juventutis flore in Germania egerit, Concilio Basileensi interfuerit, haud aliter ac si natus in Germania & educatus esset. Apud Imperatorem Fridericum per XV. annos Secretarius & Consiliarius extitisset, interfuissetque Germanorum conventibus, de republica agentibus. Secreta Germanorum summa fide se tractasse, & negotia diligenter absolvisse significat, Legationes quoq; plures se obiisse. Interea gratias agit *Germaniæ, quæ cum Æneæ operâ esset usa, ipsi, magisque sibi, consulerit. Honoravit*, inquit, *personam, dum exercuit.* Cardinalitiam quoq; suam dignitatem favori Germanorum tribuit, & Imperatoris intuitu sibi collatam confitetur. Sperat, à quibus honorem, ab illis etiam id se impetraturum, ut in honore perseverare possit, ad quam rem necessarii sint non parvi reditus ac proventus annui.

Cap. XXIII. Monasteria quoque *reservata*, sed *male*, concedit, & dolet. Idque *per inadvertentiam* factum conqueritur. Quare & Pontifex decreta mutaverit, ac pactis, ab Ænea quoque adornatis, non repugnandum statuerit.

Simonia Ro. curiæ excusata.

Cap. XXIV. Novam Germanorum querelam, de communi sed *injusta beneficiorum collatione, quæ non virtute sed pecunia impetretur*, omni arte excusat. Peccata Romanæ curiæ non negat. *Fatemur in Ro. curia (quam regunt homines) non omnia esse nitida, & plurima fieri correctione digna. Nec ambigimus, ipsos primæ urbis antistites, cum Christi Dei nostri vicariatum assumunt, homines remanere, ac propterea falli, errare, labi ac decipi posse.* Causam subjungit, cur indignis tribuat Pontifex beneficia Ecclesiastica: Deceptus à Cardinalibus & Episcopis, indignos

dignos commendantibus, quibus apostolica pietas credat. Inde fieri, *ut aliquando virtus pecuniæ cedat.* Non quod Pontifex pietati præferat aurum: sed quod internuntii, argento aut amicitia victi, indignum digno præponant. *Decipitur interdum Rom. Antistes, quis dubitat? Homo est, & inter homines vivat necesse est. Sunt in Rom. curia & avari & seductores, quis nescit?* Ad dubium, *illos esse vitandos*, respondet: Omnino, *si noscerentur. Sed cauti homines vitia tegunt. Et nulla hominum congregatio, quæ quidem majuscula sit, malis hominibus omnino vacua est. Duo erant in mundo fratres, & alter occidit alterum; Octo fuerunt in arca regnante diluvio, & homine non carnere nequam, Cananæos qui seminaret. Duodecim sibi Christus elegit, quibuscum peregrinaretur in terris, & unus inventus est proditor. Parvus erat post Domini necem discipulorum ejus conventus, & reperti sunt qui fratribus illuderent. Nicolaus communionem probat uxorum. Et periculum se passum in falsis fratribus affirmat Apostolus. Dum militat Ecclesia, dum peregrina est in terris, dum salum navigat undosum, semper inter malos bonosque percurrit. Similis est sagenæ missæ in mari, ex omni genere piscium congreganti. In area similiter est cum tritico palea. In thecis adhuc grana consistunt. Non potest Rom. Præsul introspicere, nec rimari hominum corda. Pravum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud, inquit Propheta: Ego Dominus scrutans corda & renes probans. Dei solius ea potestas est. Nullum animal homine versutius est, nullum fallacius, nullum insidiosius. Mille sunt in homine latebræ, mille fallendi artes: Mille nocendi modi. Aliud in corde, aliud in ore gerit.* Monachos mendicantes exempli loco sistit, qui simulent auri contemtum, ejus avidissimi. *Sæpe contemnere visus est aurum, qui sitientissimus ejus fuit. Religiosos nonnunquam vidimus, quos mendicantes appellant, & auri contemtores videri volunt, dum vivendi finem fecissent, magnum peculium reliquisse. E quibus unum novimus, qui auri nummum septem & decem millia veteri muro inclusserat, quæ paulatim mendicando plorando, inter vetulas ingenio subtili corraserat.* Comune tandem avaritiæ vitium docet: *Pauci sunt & digni, quos optimus amet Deus, quos avaritiæ non agunt stimuli; sed maxima pars hominum ficta fucataque est: plures videri boni, quam esse volunt. Sub ovina pelle sæpe lupinum offendes animum.* Concludit: *Nil igitur miri est, si Rom. Pontificis aliquando providentia fallitur, & beneficia pecuniis extorquentur.*

Nec Roma labe caret.

Auri cupido in Monachis.

Caput XXV. Cum excusasset Nicolaum V. & Calixtum III. Pontifices, qui *super annatas*, propter expeditionem Turcorum sponte oblatum aliquid acceperint à Germanis: Germanorum Principum aulas sub eundem censum cupiditatis revocat. *Si id crimen esse putatis (sponte oblatum accipere) necesse est ipsos Teutonos vestros ejus culpæ auctores fateamini. Qui dum Ecclesiarum regimina nimio persequuntur ambitu, cum verentur, ne sibi competitores præferantur, his quibus palatium patet, certatim munera & pecunias offerunt, æs, aurum (sed oblatum) accipiunt. Errant certe & animam pecunia vendunt. Nec minus peccant, qui dignitates Ecclesiasticas ambientes, quod virtute consequi nequeunt, pretio comparant.* Communia proinde isthæc vitia, *officia Ecclesiastica auro ponderandi, vendendi, emendique*, non dissimulat, sed celebritate excusat. *Antiqua lubes & omnium fedatrix, omnium provinciarum inquinatrix. Sed & apud priscos veteris legis Antistites hoc vitium viguisse constat, quando & Jasonem Pontificatum maximum pecunia coëmisse constat. Apud Hebræos, Græcos, Romanos, Barbaros, sive Christum colentes, sive idolis servientes, sæpe sacerdotia venisse legimus, & malis artibus quæsita. Ut verissimum illud Poeticum inveniatur. Summus nempe locus nulla non arte petitus. Itaq; non imus inficias, esse apud nos & avaros & venales homines, quos damnamus & abominamur. At si hos fugere & eo ire velimus, ubi hæc monstra hominum desint, ultra Sauromatas & glacialem Oceanum migrandum erit. Quæro obsecro aliarum mores curiarum; Omnes pari morbo laborant. Non curia est à crimine munda. Sordes in omni Palatio reperies. Illustravimus & nos ætate nostra multorum principum aulas. Consideravimus Regum mores.*

Annata à Germanis pensæ.

Simonia pallium.

Nulla

Nulla regio, quam non harpiæ fœdarint. Omnis provincia suos habet Pineos, omne atrium suis deformatur inquinamentis. Nihil est inter homines ex omni parte perfectum. Sed majora illic invenies crimina, ubi majora geruntur negotia.

Ro. curiæ præstantia.

Comparat dein Germaniæ aulas cum Romana, & hanc præ illis vehementer extollit, ex ordine & recto instituto, doctrina, experientia, bonarum artium studiis, viris sanctimonia vitæ præclaris, ut *Roma domicilium literarum & officina virtutum sit dicenda. Quod si turpitudo*, inquit, *illi est admixta, humanitati adscribendum est, quæ nusquam candida reperitur. Ac propterea nonnunquam vendi sacerdotia & minus dignis committi contingit.*

Quando Romanam ordinationem Germaniæ gloriosius prætulit, Germanam tandem injuriosius despuit: *Si unum Rom. Pontifex minus dignum Presbyterio donavit, supra mille invenias rudes, ignaros, hebetes & prorsus ineptos ab ordinariis* (Germanis) *esse promotos.*

Roma tribunal orbis Christiani.

Cap. XXVI. Doluerat Mejerus, *causas ad Rom. curiam sine modo evocari.* Culpam conjicit Æneas in Germanos officiales, qui sua injustitia ansam dent Papæ, ut ad se vocet, vel confugientes audiat & sublevet. Ut *Rom. sedes Patrocinium orbi terræ ac refugium constitutum sit.* Quod breviori sæpe manu lites Romæ componantur. Taxat interim obiter, ne Romanas artes & hic videatur celare, Romanos etiam actores, qui correctione egeant. *Quibus cum salarium per lineas sit institutum, ex duobus verbis lineam conficiunt, & verba trahunt, quantum possunt. Nec utuntur abbreviationibus aut titellis.* Reprehendit Germanos, qui de minimis causis Romam tractis conquerantur, ipsi in maximis causis ad Curiam Rom. citati, judicium contemserint, nec minas nec censuras ullas timuerint.

Indulgentiæ defensa.

Cap. XXVII. *Indulgentias* porro à Mejero notatas defendit. Esse ab injuria alienas; *Voluntarias* quippe. Libertatem illam contribuendi exaggerat. Finem extollit: Ad expeditionem Turcorum adhiberi. Intentionem Pontificis exponit: *Si quis in expeditionem contra Turcos faciendam, quatuor æra sexve contulerit, remissionem peccatorum plenariam consequuntur. Cœlum* (*Pontifex*) *piis mortalibus aperit, ad salutem vocat, ad opera misericordiæ invitat, neminem cogit, nulli minatur. Spontanea contributio petitur.*

Extollit prætextum, *ad Christianam religionem defendendam.* Insimul acerbe invehitur in Mejerum indulgentias negantem: *Non vis cœlum ascendere, mane in terra, in cœno in limo involuta. Non est justus, non est verus Christi cultor, non habet Zelum secundum fidem, non sapit quæ Dei sunt, qui has indulgentias impedire nititur.*

Allegat & aliam indulgentiarum causam *pro defendenda Insula Cypro.*

Subindicat novam querelam Germanorum; *indulgentias nunc concedi, nunc suspendi.* Quod illa ætate non esse factum, ait, nisi propter Turcos, & Cyprias quidem illas indulgentias. Queritur ergo reciproce de Germanis *in causa indulgentiaria*, quorum nonnulli Episcopi, qui Cyprios *exquæstores* ad se venientes non aliter indulgentias in suis diœcesibus publicare siverint, nisi pecuniarum, quæ inde provenirent, alteram ad se portionem deferrent. Hos de suspensis indulgentiis conqueri. His pias, justas, sanctas Cyprias indulgentias, Turcicas steriles, iniquas, detestandas esse.

Annatæ à Germanis prænumerandæ.

Cap. XXVIII. Gravem & diram *Annatarum executionem*, absque dilationis venia, deploraverat Mejerus. Justam tuetur Æneas, ob Germanorum ingratitudinem, quorum Episcopi cum Ecclesias essent consecuti, dilatione faciendæ solutionis obtenta, apostolicis literis impetratis, nec statuto die, nec multis post annis apostolicæ Cameræ solverint, excommunicationis pœna omnique censura spreta. Cum igitur *ex Annatis istis Cardinalium sit victus*, Pontificem remedium quæsivisse justum: *Ut ante tempus solvere jusserit.*

Auri sitis.

Cap. XXIX. Querulam vocem Mejeri, *ex Germanis aurum mille modis per Curiam Rom. extorqueri*, querelis generalibus de *auri inter homines siti*, declinat. *Tota est de pecunia lamentatio, aurum ploras, aurum gemis. Vetus est hic adversus Italiam*

taliam rumor. Semper fuerunt homines pecuniarum avidi, & auro insatiabiles, qui dum lucris inhiant facilius sangvinem quam pecuniam fundunt. Ubi faciendus est sumtus, hic conscientiæ remorsus & metus. Simoniaci criminis & sacrilegium ducitur, si quid exponant. At ubi est recipiendum argentum, plana sunt omnia, cuncta ex lege licent; nihil conscientia metuit, si quid in arcam refertur. Nullam invenies gentem, quæ sua è regione facile asportari aurum sinat. Communis est hic morbus, & in omnes æque Provincias effusus. Fuse has omnium gentium querimonias diducit. Quod Germani de Italis conquerantur, Hungari de Germanis: Sic & Germanorum nationes de se invicem: Plebani de Episcopis, Episcopi de Metropolitanis. *Magni conventus hominum ommino mundi & nitidi esse non possunt, & omni vacare iniquitate. Maxime vero circa pecuniæ misceri fraudes accidit, quæ una res omnium, quæ ad usum humanum spectant, mediatrix esse videtur. Quanto autem curia maria major, tanto potentior est avaritiæ sinus. Cum vitia simul ac virtutes ex subjectis populis eo confluant.*

Conscientia plerũque regitur pecunia.

Major curia major auri cura.

Queritur de *Germanis*, quibus *Pontifices aliqui annatas quasdam remiserint*, ipsi ingrati hanc gratiam referant Pontificibus. *Est profecto id genus hominum illiberale, qui cum multa receperint beneficia, pauxillum læsi omnium benefactorum memoriam ponunt, injuriæ tantum memores, eamque prædicant & magnifaciunt.*

Cap. XXX. *Expilatam & exhaustam à Rom. curia Germaniam* doluerat Mejerus. Pernegat hoc Æneas. Nec eam esse inopem, nec ancillam. Contra probat, nunquam eam fuisse opulentiorem & potentiorem. Quo fine confert *antiquum Germaniæ statum* cum præsenti. Ex Cæsare & Strabone describit antiquum Germaniæ incultæ & horridæ statum. Idem repetit ex Cornelio Tacito. Cujus tempestate à feritate brutorum Germanorum vitam parum fuisse distinctam pronunciat, qui plerumque fuerint pastores, sylvarum incolæ & nemorum. Cujusmodi vita iners sit & pigerrima. *Nec munitæ his urbes erant*, inquit, *neque oppida muro cincta, non arces altis innixæ montibus, non templa sectis structa lapidibus visebantur. Aberant hortorum ac villarum deliciæ, nulla viridaria, nulla concisiones, nullæ tempe, nulla vineta colebantur; Præbebant largos flumina potus. Lacus & stagna inserviebant lavacris: & si quas natura calentes produxerat, aquæ. Parum apud eos argentum, rarius aurum, margaritarum incognitus usus. Nulla gemmarum pompa, nulla ex æstro & serico vestimenta. Nondum metallorum investigata minera. Nondum miseros in viscera terræ mortales truserat auri sitis. Laudanda hæc & nostris anteferenda moribus. At in hoc vivendi ritu nulla fuit literarum cognitio, nulla legum disciplina, nulla bonorum artium studia. Ipsa quoque religio barbara, inepta, & ut propriis utamur vocabulis, ferina ac brutalis.* Hanc fuisse Germaniam, dicit, usque ad Adrianum Cæsarem. Exinde mitiorem factam, civilem cultum accepisse. Sed longe fuisse angustiorem, finibus nondum late extensis, sed intra Danubium & Rhenum clausis.

Antiqua Germania incultior.

Caput XXXI. *Novam Germaniam* cum veteri comparat, primo quoad *amplitudinem*, quæ limites suos longissime extenderit, Belgas, Helvetios, Retiam & Noricum complexa, quæ & Alpes transcendens in Italia sedem posuerit, nec non Austriam, Stiriam, Carniolam, cum Dravi & Savi fluminibus, Germanici juris fecerit, adjectis & aliis regionibus. Nationem germanicam sic germinasse, ut nomen *Germanorum* verius à *Germinando* tractum putet, quam, ut voluit Strabo, quod germani sive fratres quasi Gallorum essent. *Adeo magna est Germanica natio, ut nulli genti cedat, meritoque illud affirmari possit, quod non sit gens tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest Germanico populo Dominus DEUS noster.*

Nova Germaniæ amplitudo.

Germani à germinando.

Caput XXXII. *Faciem Germaniæ novæ elegantiorem* vivis depingit coloribus. *Agros ubique cultos videmus. Novalia, vineta, viridaria, violaria, rustica & suburbana, ædificia plena deliciis, villas amœnissimas, arces in montibus sitas, oppida muris cincta, splendidissimas urbes, quas plerumque maxima præterlabun-*

Nova Germania politissima.

labuntur flumina, aut amnes ambiunt limpidissimi, lapideis aut ligneis pontibus permeabiles.

Splendor urbium Germaniæ.

Cap. XXXIII. Usque ad XLV. Longa serie *splendorem* nobilissimarum *in nova Germania urbium*, extra veterem Germaniam sitarum, describit. Coloniæ magnificentiam, Gandavi populositatem, Moguntiæ pompam, *Wormatiæ* amœnitatem. *In hac illum Germanorum conventum habitum* subinnuit, *qui Rom. Ecclesiæ, sedente Calixto II. investituram Episcoporum remisit. Cum ab Ottone I. usq; ad illa tempora Germanos Episcopos ipsi Cæsares investirent.* In hac urbe *se præposituram cum palatio nobili obtinere, & ejus causa Cancellariatum in Schola Heidelbergensi*, memorat. Spiram, Argentinam, Aquisgranum, Treverim, à splendidis ædificiis, templis & delubris, Cæsarumque monumentis, commendat. In Basilea regendi modestiam & gravitatem exaggerat. In qua, ut & Constantiæ, Synodi habitæ. Helvetiæ oppida enumerat, ac laudat Bernam, Turegum. Fluvium ibi Lemanum vel Limachium notat, propter balnea tota Germania illustria celebrem. In Augusta Vindelica *S. Udalricum* præsidere ait, *qui Papam arguerit de concubinis.* Mundas Bojoariæ urbes recenset, Salzburgam, Ratisbonam, Straubingen, Burckhausen. Addit Pataviam (Passau) Danubio & Eno perfusam. In Austria Novam civitatem, & inprimis Viennam illustrat, *cujus templa mirari Italia possit.* In delubro Stephani Viennensi turrim extollit, cujus artificium & altitudinem Bosnensium legati intuiti ac admirati dixerint: *Turrim illam pluris constitisse, quam Regnum Bosniæ venundari possit.*

Investituram Episcoporum quando Germani Romæ cesserint.

Viennæ magnificentia.

Veteris Germaniæ urbes reliquæ. Bohemia Germaniæ pars.

Cap. XLVI. usque ad LVII. In Veteri Germania, nunc illustrata, urbes celebriores recenset. Wratislaviam potentem, cujus Episcopatus olim aureus dictus, Brunnam, Olomutzium in Moravia, Gedanum ad mare Balthicum. Bohemiam ad Germaniam spectare probat. Etsi enim Slavonico utatur sermone, mores tamen esse Germanicos, & nobiliores quoque utramque nosse lingvam. In templis Sacerdotes non nisi theutonicam pro concione adhibere, in cemeteriis autem Slavonicam. Pragam effert, cum Colonia, Broda, Lithomerida, Pilsina & aliis. Arcem non præterit Hussitarum munitissimam, Thaborem. Dehinc Lubeci autoritatem, & opes illas celebrat, ut ad ejus nutum tria maxima Regna, Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ, vel admittere, vel excludere consueverint Reges. Lunenburgum salinis quondam divitem appellat, tunc ad egestatem redactum, quod, *dum cleri bona affectarit & dilexerit, sua amiserit.* Roscaviam (Rostok) Hildesheimium, Werdam attingit. *Brunsvicum* nobile appellat, *Saxonum sedem, atq; Ottonum quondam Cæsarum patriam.* Bremam, veterem metropolim, Danorum gentis in Christo matrem vocat. Virginopolim & Martinopolim, in qua posteriori Fridericus Barbarossa duos fratres de regno Bulgariæ dissidentes, cum se arbitrum elegissent, & ad eum in Saxoniam venissent, concordes domum remiserit. Trajectum Phrisiorum, Dodratum Hollandorum, Monasterium, Osnabrugam, Mindam & Paulpornam, Susatumque Westphalorum, refert: In quibus *Susatum*, cum illa tempestate Ecclesiæ Coloniensi rebellasset, magnis obsessum copiis, quamvis Saxoniæ Dux Wilhelmus, cum potenti manu Bohemorum inter obsessores dies noctesque præsens pacisceretur, nulla vi superari flectique potuerit. Erfordiam dein Egramque laudat, quæ quamvis juris Imperii sit, hypotheca Bohemorum facta ad Slickensem familiam devenerit, cujus caput fuerit *Caspar Slickius.* Quem commendat Æneas pius, quod de se fuerit optime meritus, vir rarissimæ laudis, trium Cæsarum, qui sibi invicem successere, Cancellarius, & quidem acceptissimus, conjugio ducali illustratus. Francofordiam, Aschafenburgiam, Moguntini refugium & omnium molestiarum relaxamentum, Herbipolim, Bambergam, Forchem niveo pane famosam, Onspachium, Rotenburgam, repetit. *Noribergam effert, cujus is splendor, amœnitas, deliciæ, cultus, forma regiminis, ut illi ad civitatem omni ex parte perfectam desiderari nihil possit. Quis*, pergit, *venientibus Franconia inferiori & proeul spe-*

Brunsvigæ dignitas.

Susatensium fortitudo.

Casparis Sclickii elogia.

Norimbergæ decor.

eul spectantibus ejus urbis aspectus, quæ majestas, quod decus ab extra visentibus, quis intus nitor platearum, quæ domorum munditiæ? Quid S. Sebaldi templo magnificentius, quid splendidius D. Laurentii delubro? Quid arce regia vel superbius vel munitius? Quid fossa, quid mœnibus illustrius? Quot ibi civium ædes invenias regibus dignas? Cuperent tam egregie Scotorum Reges, quam mediocres Nurnbergæ cives habitare. Ulmam in Svevia, Extaviam & Ambergam, istaque occasione tandem totam Germaniam ejusque oppida à munditia & nitore vehementer commendat. *Quod si quis verum loqui voluerit, nullam esse in Europa nationem, cujus urbes mundiores aut aspectu lætiores dixerit, quam in Germania sint. Possis forsitan ex Italicis urbibus nonnullas præferre, veluti Venetiam, Genuam, Florentiam, Neapolim, quibus summus inest splendor atque ornatus. At si nationem nationi conferas, non est quod urbes Italiæ Germanicis anteponas. Nova quodammodo Germaniæ facies, & urbes ipsæ veluti nudius quartus constructæ atque erectæ videntur.* Ex longa hac Germanicarum urbium descriptione atq; commendatione pro callido Æneæ ingenio inserta concludit, *Germanicam nationem non esse inopem, quod pauperes ædificare magnifice non possint.* Ut ex ædificiorum pompa, ita & ex mercaturæ studio, opulentiam Germanorum colligit. *Quod si verum est*, inquit, *quod ajunt, ibi opes esse, ubi negotiatores, fatearis necesse est opulentissimos esse Germanos, quorum pars maxima lucris inhians, mercaturis intenta, alienas longe lateque provincias pervagatur, ac sicuti Flaccus ait, per mare pauperiem, per saxa, per ignes fugiens, non nisi dives domum revertitur.*

Germanorum munditia.

Germanorum opulentia.

Cap. LVIII. Alio argumento callidus orator Mejeri querelam *de exhausta Germania* refutare nititur, *aurifodinarum* nempe *copia*, & *suppellectilis pretiosæ inter Germanos abundantia.* Utramque admirabili colore pingit, ut legisse juvet. *In Bohemia montes Cuthni, in Saxonia Ranzbergii, in Misnia Fribergi, Vulturni nivalesque montes, inexhaustas ostenderunt argenti mineras. Duces Austriæ in Stiria apud S. Leonhardum non longe à Volspergia argentum effodiunt. Rhenus aureas evolvit arenas. Et in Bohemia fluvii sunt, in quibus ad magnitudinem ciceris aurea grana Thaboritæ reperiunt. Ferrum & aurichalcum & æris magnam vim domi reperitis. In Hungaria quoque aurum, quod apud Cremeciam reperitur. Ipsi plerumque contractas magnasque domum refertis opes, quod suppellectiles vestræ demonstrant, onusta auro argentoque mensa. Nam quod diversorium apud vos est, in quo non argento bibant? Quæ mulier, non dicimus, generosa, sed plebeia, non auro nitet? Quid torques equitum & equorum frena ex auro purissimo referamus, & tot calcaria & tot vaginas gemmis tectas, & annulos & balthea & thoraces, & galeas auro fulgentes. Quanta in Ecclesiis pretiosa suppellex? Quot reliquiæ margaritis & auro vestitæ? Quis ornatus altarium ac sacerdotum? Quid sacrariis vestris inveniri ditius potest?* Ex his thesauris Germaniæ pauperiem fugat, eleganti & pathetica conclusione. *Pauper ipse ingenio fuerit, qui Germaniam pauperem affirmaverit.* Defectum reliquum mollissime extenuat, & oblique querelam arte retundit: *Si vobis non quæ cupitis omnia suppetant, ea paupertas animi & avaritia potius appellanda est, quam rerum indigentia.*

Aurifodinæ Germaniæ.

Supellex pretiosa Germanorum.

Cap. LIX. *Potentiam Germanorum* exaggeraturus, ad extingvendam Mejeri querelam, ab *ArchiEpiscopis* orditur. Quorum tres, opibus & potentia excellentes, & inter Electores Imperii honoratiores, definit, eosque *ArchiCancellarios*: *Moguntinum* per Germaniam, *Trevirensem* per Galliam & regnum Arelatense, *Coloniensem* per Italiam. Moguntinum, *Electorum* esse *Decanum*, qui pro necessitate eos convocet. Treverensem, in Electione Imperatoris primam habere vocem. Colonienſem, ducem etiam Vestalorum (Westphalorum) appellari. His maximas parere civitates, opulentissima oppida, multos & potentes nobiles.

Potentia Germanorum.

ArchiEpiscopi, Electores Imperii.

Nec illis minorem esse *Archi Episcopum Salzburgensem*, qui in sua provincia sit sedis Ro. Legatus, ut ajunt, natus, qui, ut amplam diœcesin suam melius regeret, quatuor Episcopatus suo ære fundaverit, Gurcensem, Secoviensem, Chiemensem & Lovantinum. Quibus curam plebis & sacramentorum commiserit. Gurcensem ei subtra-

Salzburgensis ArchiEpiscopus Legatus natus Ro. sedis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

subtractum esse, quem sedes Rom. illo tempore assumserit. In provincia suffraganeos ejus esse Salzburgensem, Ratisbonensem, Patavienſem, Frisingensem & Brixionensem. Ex quibus Episcopatibus Patavienſis ditior, Ratisbonensis dignior, Frisingensis antiquior, & Brixionensis tutior habeatur. Quorum singuli munitas possideant arces, oppida frequentia & plurimos vasallos.

ArchiEpiscopi Germaniæ potentes & divites.

Cap. LX. Reliquos Archiepiscopatus recensendo, Nationis Germanicæ Primatem vocat *Magdeburgensem ArchiEpiscopum*, potentem & opibus abundantem. *Bremensem*, esse sextum ArchiEpiscopum Germanorum, temporali dominio validum. Septimum nationis Germanicæ ArchiEpiscopum esse in Bohemia *Pragensem.* Fuisse hunc olim suffraganeum ArchiEpiscopi Moguntini, sed instante Carolo Imperatore, Sigismundi patre, à diœcesi Moguntina ad jus Metropoliticum evectum esse. Sed eundem nutante regno, & Hussitarum motus fovente, ad inopiam deductum.

Episcopi Germaniæ opulenti.

Episcopatus inter Germanos florentissimos esse *Leodiensem* & *Trajectensem*, quorum si alter in bellum exeat non minus quadraginta millibus militum à subjectis sibi populis in armis habeat.

Cap. LXI. *Herbipolensem Episcopatum* per Rudolphum de Scherrenberg Episcopum valde ditatum celebrat.

Magnus eorum numerus.

Cap. LXII. *Bambergensem Episcopatum* divitem, in Franconia situm, in Carinthia haud parvi momenti oppida possidere. Alios Episcopatus tetigisse ipsi suffecit. Summam Episcopatuum in Germania tandem init: *Supra quinquaginta Pontificales Ecclesias Germano possidere, in quibus divites & potentes Episcopi præsideant, quibus Itali comparati, plebani potius, quam Pontifices dicendi videantur.*

Splendida Canonicorum collegia in Germania.

Subjungit *Canonicatus*, *Prælaturas*, *Præpsituras*, *Decanatus*, *Archidiaconatus*; In his ponit viros nobiles, juris interpretes, theologos. In *Colonia* & *Argentina* ad primas præbendas non admitti, nisi genere illustres. In *Moguntina* vetustam & magnam nobilitatem probandam esse ab eo, qui Canonicatum expetat. *Leodii* super septuaginta præbendas in majori Ecclesia numerari, in Collegiatis delubris multo plures. *Wratislaviensem* Episcopatum aureum olim appellatum, ab Hussitis extenuatum. Hic Canonicos, dum Canonicas horas canunt, rubeis cappis ornatos Cardinalium Rom. Ecclesiæ morem tenere.

Abbatum & Monasteriorum apparatus in Germania.

Cap. LXIII. Ad opulentissima accedit *monasteria*, in quibus monachi magno numero alantur, & hospitalitas cujusvis generis hominum magnifice observetur. Quosdam in Germania *Abbates* adeo esse potentes, ut Principatus honore fungantur, ut *Fuldensem* & *Erberdensem*. Ejusdem honoris participes esse quasdam *Abbatissas*. In *Suria* & *Colonia* ad undecim millia Virginum existere. Subjicit *ordinem Teutonicorum fratrum*, quos B. Mariæ vocent, quorum potentia sit par Regibus.

Principũ Germanorum majestas.

Cap. LXIV. *Principes seculares*, laicos dictos, addit. *Qua natio*, ait, *sub cœlo est tot clarissimis domibus, tot illustribus exornata principibus, ubi tantam invenias aut nobilitatem aut armorum gloriam, sicut apud Germanos?*

Domus Austriaca, Bavarica, Brunsuicensis.

Obiter attingit *militares familias*, torneamento dignas habitas, quarum pene infinitus sit numerus, quamvis nulli ad id genus ludi admittantur, nisi *vetustissimi nobiles*, quorum progenitores supra hominum memoriam, opibus & potentia claruerint. Dici illas posse *Imperiales*, quod ex his sæpe lecti sint Imperatores. Clarissimas esse *Australes* ac *Bojoaricam*, vetustissimam *Brunsvicensem*, *matrem Ottonum*, de Ecclesia Rom. optime meritorum. *Sveciam* & *Lucenburgensem* defecisse, defuncto *Ladislao*, adolescente, Ungariæ rege. Cujus, utpote olim familiaris, obitum deplorat, ut & Johannis Portugalliæ infantis filii: nec non Francisci Volscari, Venetiarum ducis, qui cum quinque & triginta annos magna gloria patriam gubernasset, tandem (ut sint inconstantes populi, & nihil nisi præsentem utilitatem pensitantes) grandævus senex magistratu abire jussus sit, qui ista permotus civium suorum ingratitudine, & palatium simul & vitam reliquerit. Quæ tria fata uno illo inciderint anno.

Cap.

CAP. LXV. Seqvuntur ex Principibus secularibus *Electores quatuor*. Quorum primus *Rex Bohemorum*, secundus *Comes Palatinus Rheni*, qui & ex Domo Bojoariæ vel Bavariæ, tertius *Dux Saxoniæ*, & ultimus *Marchio Brandenburgensis*. In curia Cæsaris Regem Boheniæ *Pincernæ* officium implere, Comitem *Dapiferi*, Ducem *Mareschalli*, Marchionem *Camerarii*. *Electores Imperii seculares.*

Succedunt *Ducales Domus* plurimæ, *Slesiæ*, Pomeraniæ, *Magnipolenses*, *Montenses*, *Clevenses*, *Gelrenses*. Inter *Marchiones* post *Brandenburgensem* clarere *Badenses*, vetustate insignes & opinione justitiæ. *Comitum* quoque eam factam claritatem, ut ex his etiam Imperatores sint lecti. Sic Comites *de Nassau* & *de Nigra civitate* (Schwartzburg) imperasse. *Landgravium Hassiæ*, adhuc viventem, ni recusasset, imperium obtinuisse. *Comites* dein *Morsatenses* laudibus effert. *Marchiones* *Comites.*

CAP. LXVI. Omnium potentissimos inter *Comites* Germanos esse *Wartenbergenses*, nec Marchionibus nec magnis ducibus inferiores. *Cilienses* comites tunc defecisse *Philippum Burgundiorum ducem*, Franciæ licet regio semine natum, latissimas tamen in Germania provincias obtinere, quorum causa vasallum Imperii se fateatur. *Domus Wurtenbergica.*

Descendit ad *liberas civitates*, *Imperatori solum subjectas*, cujus *jugum instar libertatis* sit. Neque enim usquam gentium tantam esse libertatem, quanta fruantur hujusmodi civitates. Quam libertatem exaggerat comparatione liberarum civitatum in Italia. *Populi quos Itali vocant liberos, hi potissime serviunt, sive Venetias spectes sive Florentiam aut Senas, in quibus cives præter paucos, qui reliquos ducunt, loco mancipiorum habentur. Cum nec rebus suis uti, ut libet, nec fari possint, quæ velint, & gravissimis opprimantur exactionibus. Apud Germanos omnia læta sunt, omnia jucunda, nemo suis privatur bonis. Salva cuique sua hæreditas est: Nulli nisi nocenti Magistratus nocet. Nec apud illos factiones, sicut apud Italas urbes, grassantur. Sunt autem supra centum civitates hac libertate fruentes.* *Liberarũ in Germania civitatũ flos.*

CAP. LXVII. *Disciplinam* porro *militarem Germanorum* splendide describit. *Quanta vel Principum vel civitatum armorum peritia est, quantus usus, quanta Reipublicæ disciplina? Nati in Germania pueri prius equitare, quam loqui discunt: Currentibus equis immobiles hærent sellis. Lanceas dominorum longiores ferunt, frigore ac sole durati, nullo labore vincuntur. Nullus inermis aut Svevus aut Franco iter ingreditur. Eques tam leviter arma quam membra ferit. Germanus miles, non solum nobiles, sed cives quoque ex plebe nati, armamentaria in domibus habent, & ad quosvis inopinatos incursus sive rumores, armati continuo prodeunt. Stupenda res est, ac ferme incredibilis, quanta peritia equos erigere, flectere, atque in girum ducere, quanta sagittandi ars, quantus lancearum usus, quæ clypeorum agilitas, quæ stringendi versandique gladiorum scientia, quæ machinarum & tormentorum experientia. Rideant necesse est reliquas armorum officinas, qui publica Teutonicorum armamentaria viderint. Tot ibi majores balistæ, tot catapultæ, tot insolitæ magnitudinis ænea tormenta visuntur, quas vocant bombardas, quorum & ipsi Teutones repertores habentur.* *Disciplina militaris apud Germanos vigor.*

Posthæc *militiæ duces* inclyti celebrantur. In his *Albertus Marchio Brandenburgensis*, cujus illustria facinora enumerantur, à quibus *Teutonicus Achilles* dictus. Huic jungit *Wilhelmum Saxoniæ Ducem* & *Georgium Poggibracium* Bohemiæ gubernatorem, ut & *Joannem Giskam Bohemum*, nec non *Johannem Comitem de pulchro monte*, (Schönberg) *& alios.*

CAP. LXVIII. *Mores*, præ veteri Germania *decoros*, & *doctrinam* inter Germanos *veram* Christianam celebrat. Neque tamen eos absque notula dimittit: *Quamvis adhuc veterum nonnulla rapinarum vestigia maneant, (Nam hoc unum est ex prisca barbarie vitium inter Germanos relictum) non tamen ea prædarum libertas est, quæ olim fuit.* Quare laudat Germanorum Justitiam. *Nec civitates vestræ prædonibus, si quando in potestatem earum veniant, veniam præbent, sed eos acerbissimo rotarum supplicio enecant. Vidimus judicia vestra, & conciliis vestris, quæ de Republica gerebantur, sæpius interfuimus, omnia prudenter & graviter administratis:* *Morum elegantia apud Germanos.*

Nec facile à recto tramite deflectimini: Nec vobis civiles leges nec jura desunt pontificalia: Literæque & omnium bonarum artium studia apud vos florent.

Universitates Germaniæ decoratissimæ.

Cap. LXIX. *Universitates denique* Germaniæ enumerat, *Coloniensem, Heidelbergensem, Pragensem, Erfordiensem, Lipsiensem, Viennensem, Rostochiensem.* Mores illarum deprædicat: *Suscipiuntur hospites apud vos læto vultu, sed meliore corde. Et primarii urbium cives hospitalitatem exercent, apud quos nulla suspicio fraudis esse possit. Convivitis humanissime omnibus gentibus, tantusque hodie & hominibus vestris & rebus nitor interpositus est, ut præter sermonem patrium nihil inter vos barbarum remansisse videatur.*

Barbaries omnis à Germania remota.

De qua igitur doluerat Mejerus, *barbariei nota* Germaniæ *ab Italis inusta*, miro jam studio à suis declinat Æneas. *Quod si qui vos amplius appellaverint* BARBAROS, *ipsi verius barbarissimi censendi fuerint sive Græci sive Latini. Atque ô utinam terra Macedonia, Thessalia, Achaja, Peloponessus, Epirus, & illa Italiæ ora, quam olim magnam Græciam vocaverunt, non minus quam Teutonia barbarizaret.*

Germaniæ gloria.

Cap. LXX. Abunde sic illustrata *eleganti Germaniæ forma*, adversus Mejerum iterum concludit: Germanicam nationem ad inopiam non esse redactam, nec ancillæ formam induisse, quæ domina gentium fuerit, nec imbecillem jacere, spretam atque contemtam. *Non est pauper Germania, non impotens, non contemptibilis, quæ tam longe lateque dominatur, quæ tot clarissimis urbibus illustrata est, quæ tot Principes habet, armorum gloria & potentia sublimes.*

Cap. LXXI. Non negat sub Carolo Magno *Germaniam Galliæ, Italiæ, Hispaniæ, imperasse, & sub Ludovicis, sub Ottonibus, sub Henricis, sub Fridericis majorem Germanorum fuisse potentiam:* Nunc eorum provincias esse pauciores & ditionem angustiorem. Sed hoc Apostolicæ sedi non esse imputandum, nec impediri Germaniam, quin pristinam gloriam recuperet.

Virtutem non opes nobilitare provinciam.

Querelam Mejeri veram de *auro Germanis per Rom. curiam subtracto*, mira arte retundit. Tum quod sint Germani aliqui, qui opes in Italia collectas in Germaniam reducant, tum præcipue quod auri parva sit habenda ratio in consideranda reipublicæ potentia. Et persuadere conatur, potentiores & fortiores fuisse ac esse Respublicas, auri vi destitutas: opulentas autem fuisse debiliores ac infirmiores. *Virtus hominum, non pecunia, provinciam nobilitat; ubi virtus, ibi & opes ancillantur.* Etsi vero negari non posse sentiat, necessariam esse pecuniam utpote reipublicæ nervum: Jubet tamen, responsionis loco, observare dictum Romani: *Romanos non auro imperare velle, sed hominibus aurum possidentibus.* Rationem tandem speciosam subjungit orator: *Magnas opes & delicias & voluptates consequuntur, quæ viros alioquin præstabiles emasculant, & vim omnem virtutis elidunt.*

Opes, otii & voluptatis ansa.

Cap. LXXII. Geminam itaque *causam impotentiæ Germanorum* diligenter exponit. *Ex multis opibus* natas eorum *voluptates* primo reprehendit. Qui olim armis & vigiliis regna occupaverint. *Quo fortuna victoriam impulit, eo & spolia & divitias intulit, communes hominum pestes.* Auri ergo argentique copiam, qua Germania abundet, causam esse otii, ut arma foris non efferant. *Imperium alias iisdem artibus retineri quibus ab initio partum est.* Majores autem Germanorum regni fines armis non pecunia propagasse.

Libertatis amor apud Germanos.

Alteram causam debilitatis Germanicæ *pluralitatem* vocat *principum.* Pro sua itaque arte, ut Germanos magis prosternat aut confundat, Imperatorem quidem ab illis agnosci Regem & dominum ait, sed videri tamen, quod precario ille imperet, cujus nulla sit potentia. *Tantum ei paretis*, inquit, *quantum vultis, vultis autem minimum. Libertas omnibus in communi placet, neque civitates neque principes quod suum est Imperatori præbent, nulla illi vectigalia, nullum ærarium, quisque suæ rei moderator & arbiter esse vult.*

Ut igitur *Germanorum regimen* reddat odiosum, *regentium multitudini* non sine

sine specie tribuit omnia damna, discordias crebras, assidua bella, ex illis rapinas, incendia, cædes & mille malorum genera. Quæ necessario eveniant, ubi plura dominantur capita. *Nam quo pacto aliis dominentur, qui sibi ipsis nesciunt imperare?* Accusat ergo multis Germanos *inobedientiæ*, qui obedire & imperium subire nolint. Qui nec Imperatori sua reddere jura cogitent, & apostolicæ sedi suum auferre privilegium enitantur, *ne majori luminari minus invideat, & utrique gladio acies desit.* Jubet proinde Germanos fortitudinem ignaviæ opponere, liberalitatem avaritiæ, solicitudinem desidiæ, justitiam iniquitati, &, quod inprimis necessarium, unitatem divisioni præferre: Capiti vero, tam spirituali, quam temporali suos honores, suam obedientiam reddere.

Principũ multitudo dissidiorum occasio.

Apologia pro uno Papa.

Cap. LXXIII. Cum autem negare omnino non possit, *multas in Germania Ecclesias bonis suis esse spoliatas* & ad mendicitatem pene deductas, ut *Herbipolensem*, *Wratislaviensem*, *Constantiensem* & alias: culpam à *sede Rom.* declinat, quæ *fructus medios primi anni* exigere soleat. Ab hac *exactione* paupertatem Ecclesiarum haut ortam ex eo probare satagit, quod sic omnes Ecclesiæ essent exhaustæ, quia ex omnibus pari modo id juris recipiatur.

Ecclesiæ quædam Germanicæ unde olim exhausta?

Alias ergo tres causas substituit, quibus monasteria & Ecclesiæ Germanicæ nationis è priori fortuna exciderint. (1) Quod bellorum turbinibus frequentissime agitentur, in quibus si quid victoriæ jure acquisiverint, velut modestiores è vestigio facta pace restituere compellantur. Si quid vero amittunt, perpetuo apud hostem maneat. (2) Quod Prælati amicis & cognatis multa elargiantur: Quod nisi faciant, illos suopte ingenio Ecclesiastica bona compilare. (3) Quod omnes more principum equos canesque alant, histriones parasitosque nutriant. Neque sine magno comitatu esse velint. Convivia instrui regalia. *Luxuria & ambitio germanicas Ecclesias non Romana curia exhaurit.*

Cap. LXXIV. & LXXV. Augurium Mejeri, *Germanos jugum Pontificis excussuros*, vehementi studio & multo artificio eludere contendit. *Plebem Germanicam* hoc forte machinari, ait, non *Principes*: Illos quietum Reipublicæ statum turbare, non hos. Principes, quæ sunt Principis cogitaturos. Principis autem proprium, judicium & justitiam facere, subvenire oppressis, sublevare jacentes, Christi sacerdotes honorare. Hoc principes Germaniæ facere. Extollitque *Imperatorem Fridericum*, cujus studio *neutralitas* quondam pestifera (ut vocat) *ex natione germanica sit sublata, & apostolica sedes suam inter Germanos eminentiam recuperaverit.* Eundem in Rom. sedem affectum laudat in ipso *Moguntinensi Electore*, Mejeri hero, *Theodorico de Erpach* & Coloniensi Electore *Theodorico de Morsa.* Hujus etsi constiterit pugna cum Eugenio Pontifice, erga præsentem Calixtum tamen priorem animum observantem sperat.

Fugi Pontificii Imperatores patientes Germani quinam?

Imperator Fridericus III. dignitatẽ Ro. sedi reddidit.

Cap. LXXVI. *Joannis, Trevirensis ArchiEpiscopi*, ex Domo Badensi, animum Pontifici non adversum fore ex eo judicat, quod recens magnis beneficiis à Papa sit devinctus, ad Episcopalem cathedram evectus.

Cap. LXXVII. Eundem affectum concipit in *Sigismundo Salzburgensi ArchiEpiscopo.*

ArchiEpiscoporũ Germania affectus in Papam.

Cap. LXXVIII. Eandem mentem & in Pontificem affectionem sibi pollicetur in *Magdeburgensi ArchiEpiscopo*, qui antequam sacris imbueretur, *militiæ magister* fuerit, sed cum in homine laico sacerdotis modestia & devotio vigeret, assumtum eum ad Episcopatum. Atque ita se gessisse, ut à puero religioni operam dedisse videretur. Literas, quas ignorabat, eum didicisse, & Ecclesiæ piæ clerum ac populum in optimam vivendi frugem reduxisse: Episcopalem habitum, quod inter Alemanos perrarum, interdiu gerere, & ordinationes clericorum ipsummet celebrare.

Eandem sententiam fert de *ArchiEpiscopo Bremensi.* De aliis *Episcopis*, inter quos sint aliqui novitatis amatores, qui privata aliqua occasione Rom. sedem oderint, optima itidem sperat.

Cap. LXXVIIII.

Principibus Germaniæ blanditur Æneas.

Cap. LXXVIII. *Secularibus Germaniæ Principibus* blanditur, quod nihil tale machinentur, qui Romam velut sacrarium veritatis, & unicum religionis domicilium colant, nisi Episcoporum suorum argutiis decipiantur.

Plebi Germanicæ imputata culpa odii Ro. sedis.

Omnem tandem seditionis vel novitatis culpam à *magnatibus Germaniæ* callide amolitur, & in *imam plebem* transfert. Qui proinde non pugnet cum ratione neque cum principibus neque cum magnatibus ejus, sed cum paucis, qui cum sibi docti videantur, nec pro sua opinione dignis efferantur honoribus, miscere omnia divina & humana jura conentur, ut inter rerum cadentium mutationes, assequi cathedras valeant.

Principium tandem odii, publicum sane, magna vi aggreditur, *Pragmaticam* nempe *sanctionem*, ex Concilio Basileensi natam.

Pragmaticæ Germanorũ sanctionis nervus.

Cap. LXXX. *Pragmaticæ* illius, quam ab aliquibus excogitatam pronunciat, *epitomen* conficit. Utpote quæ duas contineat partes. In *prima* referri omnia fere *gravamina* superiora. Quibus ut à Germanis obvietur, modum exprimi, qui in natione Germanica servandus sit circa prælatorum electiones, beneficiorum collationes, causarum auditiones, indulgentiarum concessiones, decimarum exactiones, & cætera istiusmodi. In *secunda* poni *appellationes*, ad quas recurrendum sit, si forte Pragmaticæ sanctioni summus Pontifex obviam iret. Inseri & *pœnam*, qua plectendi sint Germani non obedientes, *ut & fœdus Principum pro custodia sanctionis.* Ad Rom. quoque sedem fama perlatum esse, ait, inter pragmaticos sermonem esse habitum *de mittendis Romanorum oratoribus, qui ex Rom. Pontifice sanctionis suæ confirmationem expeterent, quasi sedem eo modo honoraturi. Quod si optatum responsum habuerint, gratias agerent legati, sin minus, nihilominus nationem Pragmaticæ subjiciendam.*

Repudiata à Romanis Pragmatica Germanorum sanctio.

Constitutionem hanc ab Imperatore & Principibus amolitur callide, & *seditiosis quibusdam ac perditis hominibus* adscribit, *quibus nullum scelus videatur magnum, quo crescant & divites ex inopibus fiant.* Damnat igitur Æneas prorsus tum *sanctionem* illam Germanorum, tum *modum introducendi. Pragmaticam* ipsam esse detestabilem, quæ sedem primam prorsus deprimat & conculcet. *Modum introducendi* detestandum, qui vel invito Pontifice dicatur recipiendus; Dein & *appellationem*, à primo Ecclesiarum throno interponendam, introduci; quod apud doctos sit hæreticum aut hæresi proximum.

Repudii causæ.

Cap. LXXXI. Summâ pragmaticæ definitâ, *ne Germanica natio jussionibus Apostolicæ sedis obedire cogatur, ne quid pecuniarum ad Rom. curiam deferatur:* illam prorsus repudiat duabus de causis. (1) Quod ingratitudinem detestabilem sapiat. (2) Quod non solum sedi Apostolicæ, sed universæ Reipublicæ Christianæ damnosa sit, quæ universum religionis Catholicæ statum confundat ac pervertat. *Ingratitudinem* ex eo probare contendit, quod matrem suam, Rom. Ecclesiam, pragmatica sanctione sit jugulatura natio Germanica.

Beneficia Romanorum in Germanos.

Cap. LXXXII. Quam ut explicet ingratitudinem exprobrat Germanis *duo beneficia*, quæ à Rom. solio acceperint. Primum est, *quod Germanis Christum prædicaverit*, verum & singularem Deum. Cujus religio barbariem omnem ab illis deterserit. Alterum *quod Rom. Imperium ex Græcis ad Germanos transtulerit*, cujus splendor gentem Germanicam omnibus Europæ populis antepoſuerit.

Religionis beneficiis auro compensandis.

Primum *religionis beneficium* vehementer exaggerat imagine pristinæ Idololatriæ, cui opponit magnam veræ religionis & pietatis secutam lucem. Sic & religionem & bonos mores Rom. sedi à Germanis deberi prædicat. Ingratitudinis fore vitium, si quid agant, quod sedi Apostolicæ sit molestum. Pro spiritualibus igitur juribus & sacris canonibus *exactiones*, nempe *annatas*, pati, aurum ex Germania dimittere, intolerabile non esse putandum. Quâ occasione Pontifici Rom. dictum Pauli tribuit: *An grave putatis, quod temporalia vestra metamus, si vobis spiritualia seminamus?*

Cap. LXXXIII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cap. LXXXIII. Ut Germanos gravet aut *irreligiositatis* oblique accuset, illorum ore objectionem format: Majores nimis fuisse credulos, qui divinitatem Christi sibi persuaderi siverint. Quam tamen *ignominiam* ne videatur Germanis intulisse, eos à *constantia fidei* breviter collaudat. Dubitantibus interim se satisfacturum ait. Digreditur igitur Orator in campum amplissimum probandæ veritatis religionis Christianæ & divinitatis Christi. Tutissimam & apertissimam viam probandi, Christum esse Deum, ex miraculosis ejus operibus constare, affirmat. *Germani in fide constantes.*

Cap. LXXXIV. Ad objectionem, claruisse & Mosen, Eliam, Elisæum, miraculis, neque tamen fuisse Deos, respondet, quod id de se nunquam fuerint professi, uti JESUS de se frequenter professus, se esse Dei filium. JESUM autem non mentitum, quod DEUS fuerit cum eo, sine quo nulla miracula. Evangelistarum mox & Apostolorum fidem celebrat. Martyrum pro Christiana fide mortem oppetentium testimonium allegat. Jungitur illis authoritas plurimorum patrum doctissimorum, *cum quibus potius, si electio locum habeat, errandum sit, quam cum aliis bene sentiendum. Et nos quidem*, inquit, *si tanti erravere viri, haudquaquam hi sumus, qui alios sine errore putemus.* Addit *Romanorum* auctoritatem, qui Christi religionem non accepissent, nisi aut rationibus aut miraculis victi fuissent. Similiter & *Græcos*, *Hispanos*, *Gallos*, viros sapientissimos, pro idolis legem Evangelicam non fuisse admissuros, nisi aliqua ratio illos traxisset. Confirmat & prædictionibus V. T. ac Sybillarum effatis.

Cap. LXXXV. Præter dicta V. T. plurima allegata, quibus divinitatem Christi muniat, argumentum novum pro divinitate ejus petit *à legis ejus honestate*, ut loquitur. *Quod Christus cœlestem in terris agere vitam docuerit, & inter mortales esse angelos.* Hoc Germanis à sede Apostolica fuisse nunciatum prædicat, dum Christum docuit esse colendum. Hoc beneficium in Germanos ab ipsis collatum celebrat, quos ex infidelibus Christianos fecerit, ex barbaris latinos, ex vitiosis honestos, ex perditis salvatos.

Cap. LXXXVI. *Rom. sedem Germanorum*, ut Gallorum, Hispanorum, Anglorum, Italorum, *magistram in fide* fuisse probat, doctorem denominans *Bonifacium*, maryrem. Quo definito, magno molimine iterum ingratitudinem Germanorum exaggerat, qui nolint pro Evangelio reddere aurum. *Salus vobis*, inquit, *ab Apostolico throno missa est, vitam hinc habetis & scalam in cœlum ferentem. Et gravamini pecunias mittere ad curiam, annatas solvere: Auxilium aliquod matri vestræ præstare. Grave vobis est, his temporalia præbere, qui vobis spiritualia tradiderunt. Animalia bruta parentibus suis opitulantur. Nam ciconias ferunt tantopere victum ministrare parentibus, quanto ab illis alimenta receperunt. Qui altari servit, inquit Paulus, de altari vivat, & os bovi trituranti alligandum esse Scriptura negat. At vos omnino matrem vestram excludere nitimini, & nullum ei pietatis auxilium esse præbendum.* Quod vitium exaggerat, dum cum hæresi comparat, ipsamque illam jactatam ingratitudinem *hæresin* vocat. *Germanos à Romana fidem esse nactos.*

Cap. LXXXVII. *Privilegium Rom. sedi à Christo traditum*, pascendi oves, ligandi & solvendi, per pragmaticas sanctiones auferri queritur. Obligari à Germanis primam sedem illo pacto, desinere illos esse oves, & in pastorem rebellare, eumque increpare. Quam tamen culpam *plebi Germanicæ* imputat, non *nobilibus*, quibus blanditur. *Privilegium Romanæ sedis unde?*

Cap. LXXXVIII. Abominatur porro pragmaticam sanctionem duabus de causis: (1) *quod sedis Apostolicæ eminentiam & pastoralis officii plenitudinem eripiat.* (2) quod primam sedem *velit esse pauperem, abjectam & impotentem.* Primum hæresin sapere arbitratur. *Pragmatica sanctio damnata.*

Potentiam ergo *Romanæ sedis*, auctoritatem atque eminentiam, vindicat, ex eo, quod prima sit omnium Ecclesiarum, & cunctis Ecclesiis velut mater

superemineat filiabus: quod & princeps sit & magistra. Quod exinde probat, quod cæterarum Ecclesiarum dignitates & cathedras Rom. Papa constituerit, Ecclesiam vero Rom. ab ipso Deo, per Petrum, æternæ vitæ clavigerum, esse fundatam, utpote cui Deus terreni simul & cœlestis Imperii jura commiserit. Corroborat hanc prærogativam testimoniis *Pelagii*, *Anacleti*, *Leonis Papæ*, *Agathonis*, *Stephani Papæ V. & Gregorii.* Dubium, quod hæc *hominum testimonia* sint *suspecta*, ipse movet, utpote qui suam egerint causam, in sede Romana sedentes. Dissimulat dubii pondus, se illius testimoniis non niti, nisi propter rationes: Quod *Petro vicariatum Christi traditum* uno ore illi asserant.

An Ro. Pontificis primatus sit necessarius.

Cap. LXXXIX. Ad *objectionem Germanorum*, tum Hussitarum, tum qui Pragmaticæ sanctionis autores sequantur, *Rom. Pontificis primatum in Ecclesia non esse necessarium*, sollicite respondet. Necessitatem istius Rom. Primatus probare satagit ex *Ordinis sacramento.* Inter sacramenta *ordinem* numerari supponit, *qui duorum sacramentorum, quæ saluberrima & potissima esse videantur, eucharistiæ & pœnitentiæ ministerium in se contineat.* *Sacerdotes* hac potissimum causa esse institutos, ut purgantes per pœnitentiam homines, à peccatis ad gratiam Dei reducant, & ideneos faciant ad Christi corpus recipiendum. *Sacerdotibus* autem his *subordinatos* esse alios *sex ministros*, qui præparent ad corporis Christi distributionem necessaria.

Ordines Ecclesiastici.

Ordines proinde hos esse septem: *Hostiarios*, *Lectores*, *Exorcistas*, qui populum disponant, *Accolitos*, qui vasa non sacra porrigant & lumina observent, panem vinumque nondum consecratum subministrent, *Diaconos*, qui sangvinem Christi populo dispensent, quorum & Diaconi Evangelicam doctrinam populo tradant, *subdiaconi* Apostolicam, *Sacerdotes* denique ipsos. Ordinum horum collationem cum sacramento perfici, sacramenta verò dispensatores requirere idoneos: Hinc necessariam esse *potestatem* aliquam *superiorem* altioris ministerii, qui ordinis sacramenta dispenset, cum nemo ordinem à se ipso recipiat. Hanc *potestatem* à majoribus *Episcopalem* dictam.

Summum quendam Episcopum in Ecclesia esse oportere.

Unum autem *summum* esse debere *Episcopum* ita probat: Sicut populus per diversas diœceses & civitates distinctus una sit Ecclesia, Christi sponsa, ita *unum* oportere esse *populum Christianum*, per totum orbem longe lateque diffusum. Porro: sicut in populo unius civitatis sit Episcopus, ad quem summa rerum deferatur, ita & in *tota Ecclesia* per orbem dispersa, necessarium esse *unum præsidere rectorem*, principem & Magistrum, cujus arbitrio maxima quæque & difficilia terminentur. Neque posse pacem & *unitatem in Ecclesia* conservari nisi *una* sit fides: Neque *opinionum de fide diversitatem tolli* posse, nisi judex *supremus unus existat*, qui quæstiones circa fidem emergentes dissolvere queat. *Nisi unum sit tribunal*, inquit, *in quo lites de religione discutiantur, dividat Ecclesiam necesse est ac unionem resolvat sententiarum diversitas.*

Infeliciorem hunc statum Ecclesiæ ante Concilium Nicenum, dum sibi quisque vixerit, ex eo natum asserit, quod nec facultas fuerit Episcopis ad Synodum cogendam, neque Rom. Ecclesia suis viribus schismata disrumpere potuerit. Eandem fere calamitatem sui temporis deplorat, quo omnes peregrina sequantur dogmata, & hoc agant, ut Apostolicæ sedis autoritatem & primatum diffiteantur.

Aliud argumentum à *Christi in Ecclesiam amore* petitum subjungit: Verosimile esse, Christum pro suo in Ecclesiam amore, omnibus eam necessariis dotasse. Quod comparatione illustrat Synagogæ Judaicæ & Ecclesiæ Christianæ. Illam dicit omnibus fuisse instructam rebus necessariis, juxta Esaiæ c. 4. Quidni & Christi Ecclesia omnibus sit à Christo dotata. Jam verò in perfecto regimine necesse esse, ut *unus præsit*, à quo cæteri dependeant: Proindenon dubitandum, quin ex ordinatione Christi, *unus Ecclesia præsit doctor* fidelis,

lis, exercitus, & magister eorum, qui veram doctrinam quærant. *Hunc Papam dici Romanum, maximumque Pontificem & Christi vicarium.*

Novum argumentum à *sapientia Christi* sumtum affert: Cum Ecclesiæ regimen sit per eum institutum, per quem reges regnent & regum conditores justa decernant, sequi, *Ecclesiæ gubernationem debere esse optimam. Optime autem gubernari multitudinem, cum ex unius voluntate dependet.* Id quod ex fine probat: *Finis optimi regiminis pax est, pacis autem nutrix unio. Unio verò ab uno melius servatur quam pluribus. Unus unitati congruit. Pluralitas Principum divisionis est mater.*

Aliud argumentum *ab exemplo Ecclesiæ in cœlo triumphantis* repetit. *Sicut in triumphante Ecclesia unum sit caput, Deus, ita & in Ecclesia in terris unum oportere esse Antistitem.*

Novum denique argumentum ex *promissionibus divinis* haurit. Joëlem pronunciare: *Congregaturos se pariter omnes, & unum sibi posituros caput.* Et Johannem testari: *Unum ovile & unum pastorem futurum.* Quo refert sententiam Pauli ad Ephes. *Solliciti sitis servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, unum corpus & unus Spiritus; Sicut vocati estis una spe vocationis vestræ, unus dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus.*

Christus an sit caput Ecclesiæ, adeoq; ejus regimen summum sufficiat.

Cap. XC. Exceptionem Germanorum memorat: *Unum caput, unum Ecclesiæ pastorem Christum esse, qui cuncta gubernet unus & unicus sponsus, nec opus esse alium adhibere pastorem. Illum optimè pascere oves, qui creavit.* Arduo huic dubio obviam it. Etiamsi Christus sit *verus sacerdos*, ante exitum tamen ex hac vita *ministros* constituisse, per quos sacramenta fidelibus dispensaret, Apostolos nempe. Simili ratione *potuisse* quoque *Christum unum aliquem eligere, cui gregis universi curam committeret.* Id quoque eum *fecisse*, electo *Petro* ante ascensionem, & ante passionem: *Pasce oves meas: Confirma fratres tuos: Tibi do claves Cœlorum.* Unde colligit, *potestatem clavium per Petrum ad alios deferendam, ut Ecclesiæ servaretur unitas.*

Dubium non tacet: *Hanc potestatem Petro concessam ad successores ejus non derivari.* Respondet: Nefas hoc esse dicere. Quippe quod Christus Ecclesiam ad finem mundi duraturam instituerit. Hinc potestatem apud eos, qui cum Christo vixerunt, sic institutam, ut ad posteros pro Ecclesiæ utilitate penetraret, vi dicti: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Hoc autem *Petri successoribus* commissum esse ex eo colligit, *quod omnium Pastura non alteri Apostolo legatur commissa, quam Petro, etiamsi ligandi & solvendi potestas omnibus data sit.*

Romanis deberi summum Episcopatum.

Ro. verò *sedi* hanc *summi Episcopatus dignitatem* competere probare contendit *martyriis Petri & Pauli, qui uno die Romæ subierint. Non*, inquit, *est ambiguum, quin talium Apostolorum martyrio consecrata Rom. sedes principatum inter reliquas obtinuerit.* Comparatione omnium aliarum magnarum in orbe Ecclesiarum hoc illustrare laborat. *Constantinopolitanam* si quis præferre voluerit, utpote imperio olim orientali sublimem, illam constitutionem aut prærogativam non à Christo profectam asserit. *Hierosolymitanam*, quam salutis nostræ officinam appellare possimus, si quis præferendam dicat, cui frater Domini magnus præfuerit Apostolus Jacobus: particularem illam & temporariam fuisse dignitatem. Petrum autem dum Vicarium sumserit Christus, illi loco summi Episcopatus dignitatem concessam, quam Petrus ipse suo sangvine consecraret. Idque universalis Ecclesiæ consensu approbatum. *Rom. Ecclesia*, inquit, *à Domino & non ab alio caput omnium est constituta, quod Principis Apostolorum ac Doctoris gentium sanguine dedicata est. Spirituale sacrumq; regnum ibi fundatum, ubi terrenum ac prophanum usque ad summum crevit Imperium.*

Dubium: *Et alias à majoribus dictas Apostolicas Ecclesias, quibus Apostoli præfuerint, uti Hierosolymitanam, Antiochenam, Ephesinam, Patracensem*, & alias, solvit: *Absolute Apostolicam sedem dici Romanam, ob Petri reverentiam.*

Cui aliud subjungit argumentum. Nullas alias Ecclesias, sive Græcas, sive A-

 siaticas,

siaticas, sive Syras, sive Ægyptiacas primatum sibi arrogare posse, *quod earum successores Evangelium & veram doctrinam reliquerint*, sola Romana fidem Christi integram & immaculatam servaverit, absque ulla hæresi & erroribus.

In nullis aliis nationib. posse summũ existere Episcopum.

CAP. XCI. *Omnibus aliis in Europa regnis ac nationibus primatum omnem derogat Ecclesiæ.* Italicas, Gallicas, Hispanicas & Germanicas primatum sibi vindicare posse negat. Ratio: *Quod Apostolorum nullus ad illos venerit. Deinde, quod omnes illæ Ecclesiæ auctoritate Rom. sedis sint institutæ. Ut propterea illi tanquam matri ac magistræ reverentiam ac obedientiam debeant.*

Germani olim Ro. sedis impugnatores.

Quare invehitur in *pragmaticæ sanctionis autores*, qui prorsus eminentiam primæ sedis & auctoritatem explodant: Qui leges inter se statuentes, Apostolicæ dignitati frenum ponant. Hæreseos illos accusat, quod aperta fronte & ore contumaci ajant, *nolle se Rom. Pontifici obedire.* Quod idem esse interpretatur, ac si dicerent, se non esse oves Christi sed perditionis.

Gravioris dein peccati illos accusat, qui non solum Rom. sedi parere recusent, sed & plurima *jura*, quibus curia illa fovetur & alitur, *subtrahere* velint. *Qui præcipue illud cautum esse velint, ne quid auri ex Germania in Italiam deferatur.*

Facilem exceptionem: *Hoc non esse contundere ac perdere sedem, sed auferre illi deliciat ac superfluitates, quibus in profundum malorum mergatur ac penitus labascat ac intereat: Sanare hoc esse Rom. sedem, non perdere:* Callidè solvit: *Pragmaticæ sanctionis autores, dum negent annatas Curiæ Rom. & pecuniarios census, velle Ecclesiam esse pauperem. Nam id utile putas*, addit. *Auferantur enim voluptates, & casta remanebit Ecclesia.*

An Ro. sedes suo patrimonio possit acquiescere.

CAP. XCII. Aliam exceptionem Germanorum sentit ac profert: *Satis habere Rom. Ecclesiam ex Patrimonio B. Petri & ex aliis regionibus.* Sed & studiose solvit: *Parum esse & incertum, quod ex patrimonio habetur.* Extenuat ergo reditus, quos ex Italia capiat illo tempore Papa. *Custodia*, ait, *sæpe plus requirit, quam ipsa conferant castra. Et multa bella imminent, multæ insidiæ, multi raptores sunt. Et Bononiam, quæ primum est membrum, nunc civilibus discordiis agitatam, nihil conferre videmus. Perusinos vero tantum præbere, quantum volunt. Reliquos populos mutare omnes, ad res novas paratos. Vicarios Ecclesiæ censum tunc dare, cum placet.* Romæ quoque multas fuisse mutationes, subindicat. Martinum V. cum rediisset Romam, vix aliquid possedisse. Braccium cuncta occupasse. Sic male cum Rom. sede actum iri, si reditibus Patrimonii gubernari debeat. Propterea *majores voluisse, ut Collegium Cardinalium non ex illis, sed ex annatis sumptus haberent.* Levem posthæc addit excusationem: *Si reditus patrimonii sufficerent, Italiam dicturam: Cum sedes Apostolica mater omnium sit, cur nos Itali tantummodo illam nutrimus. Mater quidem, ut omnibus filiis lac præbuit, ita ab omnibus juvanda est.*

Unde sumptus Cardinalium petendi?

Addit solutionem novi dubii: *Solos Italos Ecclesiam regere.* Negat. Curiales ex omni gente adesse affirmat. Et in ipsa quidem sede ex omni natione sedisse. Et tunc præsidentem, Calixtum III. non Romanum aut Italum sed Hispanum esse. *Constare*, addit, *sedem, cum extra Italiam fuit, non tam benignam fuisse Italis, quæ Romæ existens lætà sit omnibus.*

Sumptus Curiæ Ro.

CAP. XCIII. *Sumtus Papæ & Cardinalium*, de quibus conquerantur Germani, Annatas denegantes, copiose & artificiose, ut omnia, excusat. Pingit primum, fictâ manu Germani: *Quid opus est tot sumtibus? Neque tot equos, neque tot longissimas vestes, neque tot famulorum longum ordinem requiri. Sat fuerit in Palatio Papam esse cum paucis ministris, Cardinales cum pauciorib. vitam sobriam castamque ducere. Pluris eos pauperes & bonos verebitur mundus, quam divites & malos. Pompas eorum omnes odere, malas artes & pingvia convivia cuncti detestantur.* Salse primum respondet, quasi velint hoc pacto Germani Rom. Præsulem esse pauperem, inopes Cardinales & totam curiam mendicare. Satis videri Germanis, si Rom. Præsul cum suis bene vivat. Dehinc argute hoc refutat. *Imperium absque opibus & splendore, esse inane ac imbecille.* Quod primo innuit, laudatis effatis vulgi, ut & Salomonis: *Sapientiam pauperum fumo viliorem esse: Si loqua-*

loquatur pauper, omnes eum deridere; Si loquatur dives, eum omnium esse admirationi. Quare, ut rem expediat, distingvit inter vitam privatam & publicum munus. *Qui sibi vivere velit, securissimè paupertatem eligere.* Cum divitiæ sint spinæ, & expeditius iter ad vitam facilius exequatur pauper. *Sed qui præsint aliis, abundare oportere.* Rationem hujus petit à fine: *Quod præses magna & præclara efficere teneatur. Hoc autem*, teste Philosopho, *impossibile, aut certe difficile esse, cui desunt facultates.* Rationi jungit exempla *Sacerdotum Mosaicorum locupletissimorum.* Utpote quibus non solum decimæ, sed & oppida & civitates fuerint assignatæ. Similiter & *Sacerdotes Ægyptios ditissimos* fuisse ex eo arguit, quod immunes fuisse dicantur ab omni censu. Sic & inter Persas, *Magos, Sacerdotes opes habuisse florentes.* Ita & apud Græcos Romanosque Sacerdotes excelluisse. Apud Gallos *Druidas* primo fere loco fuisse habitos & contentionum judices.

Imperantes sint locupletes.

Subodoratur dubium: *Priores Ecclesiæ Rom. duces usque ad Constantini tempora, fuisse inopes & modico contentos, qui sua plebi salubriter præfuerint.* Solvit, discernendo inter Ecclesiam pressam, ac publica libertate fruentem. *Illo tempore parvas fuisse Christianorum plebes, & occulte coluisse Christum.* Constantino imperante, publice Christianis Ecclesias esse concessas. Prius non solum clericos sed & laicos fuisse pauperes. Ex inopibus Christianæ religionis principium esse, & piscatores exercitus Christiani fuisse doctores. Reliquos divites bona sua distribuisse. Sic tandem & *Apostolos fuisse ditissimos* argute demonstrare laborat. Quippe dum ad illorum pedes omnia credentium bona sint deposita. *Sic in Apostolo fuisse potestatem summam regendi, & ad eos pertinuisse bonorum omnium dispensationem.*

Apostoli ditissimi fuerint.

Convertit dein argumentum: Si Germani velint ad antiquam Ecclesiæ formam provocare, dum pauper sacerdotium optet, eos debere & plebem cum eo pauperem velle, & in utroque statu priscos imitari mores, ne claudicare videantur. Indulget ergo utrisque & clero & populo divitias.

Ad probandam denique thesin, *qui regimini præsint illis paupertatem esse noxiam*, se omni arte componit. Argumentum autem petit à *defectu characteris in judicio*, nec pauperem posse fieri judicem. *Quod si testimonium pauperis corruptum videri potest, non videmus*, inquit, *cur inopis judicis sententia sit integra.* Judicem autem esse omnem sacerdotem, cui cura sit commissa animarum.

Judices sint divites.

Aliud argumentum à tristi effectu petit: *Si pauper fuerit sacerdos, necesse est, ni præclara eum virtus retineat, multa faciat ab honestate aliena.* Quod experientiâ probat, dum sacerdotes & fures & usurarii, & mendaces & falsarii aliquando deprehendantur, quod plerumque paupertas cogat.

Sacerdotes cur debeant esse divites.

Cap. XCIV. A minoribus sacerdotiis ad summum maximumque transit, cui divitias vindicat, idque fuse adstruit. Si quis dicat: *Pontificem Maximum posse esse pauperem, si sit bonus*: id prorsus repudiat: Quin: *Pontificem Max. quamvis optimum, non officio suo satisfacere posse* pronunciat, *nisi facultatibus sit præditus.*

Papæ opulentia defensa.

Quo fine longo ambitu *Romani præsulis officium* describit; *pascere oves ubique existentes.* Ut magnus sacerdos curet, Evangelium omnibus prædicetur, errores omnes evitentur, schismata removeantur, bella sopiantur, furta, rapinæ, incendia, homicidia, adulteria, ebrietates, crapulæ, contentiones, simultates, odia, rixæ, de medio tollantur, & pax & concordia vigeant. Rom. sedem præterea debere esse veluti patrocinium orbis terræ, tutumque portum afflictorum, dulce refugium miserorum, audire ac juvareque omnes. Quod Fabiani, Sixti, & Severini Pontificum illustrat testimoniis. Non ergo pauperem, sed opulentum requiri Pontificem, hinc colligit.

Ad restitutionem Episcoporum exulum, & hæreticos vel schismaticos corrigendos, quod *brachium seculare sit implorandum*, negat, quod melius sit, Rom. præsul per se hoc agat, suis viribus fretus, non per alium. Cum *vir sapiens melius ipse agat, quam alteri committat.* Quod confirmat exemplis de-

negati auxilii, si Papa à secularibus Principibus quærat. Addit casus, si ipsi Principes, Reges, Imperatores, ab Ecclesiæ regulis abeant, quis eos sit in ordinem redacturus, nisi Papa brachio valeat & opibus. Commendat ergo Constantinum & secutos Cæsares, qui Ecclesiam ditaverint.

Objectionem: *Divitem* posse esse Pontificem, *non Archidivitem*, solvit: Ditiorem debere esse Archiepiscopis, cum *ditior non sit pariturus pauperi*: Imo & potentiorem Imperatore. Laudat Bernhardinum, qui dixerit: *Papatum se sine imperio non optare, utrumque simul cupere.* Concludit ergo: *Illud nos tenemus, potentiam, opes, viresque, multo melius in Apostolica sede, quam in alio quovis seculari Throno existere.* Rationem subjicit: Quod sedes hæc tutrix sit fidei, quæ nunquam erraverit aut erratura sit, eo quod rogavit Dominus, ne deficeret fides Petri. Imperatores verò Reges ac Episcopos sæpe in hæresin esse prolapsos.

Imperator Ecclesiæ Papa.

Cap. XCV. *Dignitatem Rom. Pontificis* magnifice extollit, qui sit *velut Imperator Christiani exercitus, & rex sapiens, qui sedens in solio suo dissipet omne malum.* Hunc ætate maturum, literis eruditum, moribus ornatum *plerumque* assumi. *Cardinales* illi assistere, Græcos & Latinos, ad minimum *sedecim*, viros excellentes, ex omni orbe delectos, quorum consilio res arduas componat. His datum esse vacante sede primum præsulem eligere.

Quod *jus ad eos supra quadringentis ferme annis pertinuerit: Cum ante Rom. clerus applaudente populo summum pontificem eligere consuesset: Postea vero Imperatoribus Germanis jus ordinandi Rom. sedem tributum esset.* Hos Cardinales Apostolorum locum tenere, & senatorum urbis vicem implere, qui causas majores aduniant.

Cardinalium pompa defensa.

Cardinalium igitur *pompam* & splendorem prosequitur. Qui familiam alant, ex Episcopis, Abbatibus, viris nobilibus & doctoribus. *Non decet*, inquit, *eos qui tota dignitate præfulgent, veluti mendicos incedere.* His tribuit auditores, magistros aulæ, magistros domus, antecessores, scutiferos dictos, dispensatores, XL. famulos singulis, totidemque equos. His *alimenta deberi ex republica, cum reipublicæ serviant.*

Quam Cardinalium pompam munit ac defendit exemplo *Consulum Germaniæ*, qui in suis urbibus splendide vivant, ut & *Italiæ*, quos *fastu* ingenti notat. Si ergo *urbis* consules fulgeant, orbis Cardinales *superbiorem* merito referre *statum.*

Exceptionem: *Quanto quis altius ascendit, tanto humilius se gerere debere*, solvit: Hoc ad *animum* referendum esse, non ad *ornatum exteriorem*, qui dignitatem imitetur.

Cardinalium officia.

Cardinales distribuit: Alios esse *Episcopos*, alios *Presbyteros*, alios *Diaconos.* Officia horum trium designat. *Pœnitentiarium* esse primum, qui conscientias hominum expurget, & auditis peccatis, pro modo culpæ indulgentiam pœnitentibus elargiatur. Cui subsint *Pœnitentiarii minores* pauci, scriptores viginti & quinque, procuratores, & qui literas corrigant. Quod officium tunc temporis gesserit *Cardinalis Firmianus.*

Alterum officium *Vice-Cancellariatus.* Cancellarii nomen declinat, præcipue, quod *Papa putetur Christi Cancellarius.* Urget tamen Cancellarii nomen olim Cardinali tributum Rolando, qui postea Papa factus Alexander III. Vice-Cancellario servire auditores, coram quibus causæ definiantur, raro infra duodecim. Cuilibet eorum quatuor assistere scribas, & advocatorum ordinem, viros doctos, qui diu in scholis publicis docuerint, qui teneantur publice prius disputare, quam ad hunc ordinem adspirent. Hos quoties publica consistoria fiant, *si quid Cardinales vel auditores peccaverint in causis, palam edicere ipsique Papæ in faciem malefacta sua exprobrare.* Illorum seniorem, *advocatum pauperum* appellari. Ad rotam, auditoriive publici locum refert denique procuratores, cursores, &c. Esse quoque in Cancellaria præsidentes, correctores, abbreviato-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

viatores 25, scriptores centum. In registro quoque magistros exscriptores esse. Duos etiam *ignaros* adesse *literarum monachos barbatos*, quos *bullatores* appellent, qui ex manibus tum Papæ tum Vice-Cancellarii literas accipiant. Fuisse tunc Vice-Cancellarium *Rodericum Borgiam*, Calixti Pontificis nepotem, Cardinalem Diaconum, quem commendat, quamvis juvenili tunc ætate, moribus tamen & prudentia senilibus esse præditum.

Tertium officium esse *Camerariatum*. Cujus patrimonii Ecclesiæ curam gerere, & omnium urbis magistratuum inspicere actus, & providere ne quid respublica detrimenti patiatur, armigeros Ecclesiæ intueri, belli causas avertere, paci consulere, & qui nervi sint Reipublicæ pecuniarum habere curam. Huic subesse *Vice-Cancellarium*, auditorem cameræ, procuratorem & advocatum fisci, thesaurarium, depositarium. Sequi *Clericos cameræ*, qui rationibus præsint, & tabelliones, qui conscribant obligationes & liberationes, tabelliones item equestres & pedestres. Fuisse tunc Camerarium *Ludovicum*, Cardinalem Presbyterum, qui apud Rhodum apostolicam tunc classem adversus Turcos rexerit.

Post hos alios esse solius Papæ ministros, *Referendarios*, qui supplicationes egentium Papæ signandas offerant, *Secretarios*, qui dictent brevia seu epistolas piscatoris annulo signandas, viros disertos Latinæ & Græcæ lingvæ peritos. *Cubicularios*, eorumque duplicem ordinem, eorum alios penitiorem observare thalamum, alios consistorii ostium: *Capellanos*, *confessores*, & nobili loco natos *scutiferos*, qui mensæ serviant. *Protonotarios* septem, qui de rebus gravioribus rogentur instrumenta facere, quamvis horum numerum in immensum crevisse conqueratur. *Subdiaconos*, *Accolitos*, *cantores*, *clericos ceremoniarum*, & inferiores ministros.

Cap. XCVI. *Splendorem* depingit *Rom. Pontificis missam celebrantis* aut sacra audientis, *sedere sublimem in suo throno Papam*, *Cardinales à dextris sedere*, *magnos prælatos à sinistris*, *astare è regione Episcopos*, *& Abbates & Protonotarios*: *Suum esse locum oratoribus Regum*, *suum magnatibus*, *suum auditoribus*, *clericis cameræ*, *procuratoribus*, *subdiaconis*, *accolitis*, *cateram multitudinem humi sedere*. *Splendor Papæ Missam celebrantis.*

Inspergit mox dubium: *Christum venisse pauperem & humilem*, *quare & ministros Christi oportere esse humiles.* Solvit: Non id fecisse Christum, ut nos essemus pauperes, sed ut eo modo nos redimeret. Si gloriosus venisset, eum non fuisse perpessurum tormenta crucis, nec nos à morte liberaturum. Sic illi *necesse fuisse ut pro nobis esset pauper aut pro salute nostra.* Consequentiam dein superiorem porro invertit callide & argute, dummodo satis pie: *Nunc Romanos Præsules divites ac potentes esse pro salute nostra.* Rationem addit: Quod purgari crimina extirparique nequeant, nisi potenti manu. Numerum ergo & sapientiam ministrorum Papæ denuo attingit, ut probet, Papam non debere esse inopem. *Unde alantur tot magni viri sine sumptibus?* *Christi humilitas & Papæ fulgor comparantur.*

Cap. XCVII. Novum movet scrupulum: *Non opus esse tot viris.* Respondet, *omnino opus esse ad judicandum mundum.* Papam enim, etsi doctum & sapientem, non tamen tam suo cerebro sapere, quam consilio assistentium. Qui deciperetur sæpe numero, nisi stipatus esset viris sapientibus & expertis. Nec crimina posse aboleri nisi potenti manu. *Multi sint Cardinales & ministri Papæ.*

Dubium, *De aliena ope petenda*, solvit: Non esse tutum. Cum sæpe is sit malus, cujus auxilium esset petendum. Potentem ergo oportere esse Ecclesiam, ut ipsa tueri gregem posset. Opulentiam proinde Rom. sedis necessariam vindicare iterum studet exemplis sacerdotum opulentissimorum inter Judæos & gentiles. Quorum aliqui fuerint reges, qui sacra & civilia simul gubernaverint.

Dubium, *primos Christianos bona sua vendidisse*, solvit, *Apostolos* tamen factos

ctos distributores bonorum, adeoque *Dominos. Constantini* dein munificentiam celebrat, qui Rom. sedem ditaverit. *Carolum* item *Magnum*, nec non Patrem *Pipinum* & filium *Ludovicum*, Ecclesiæ multa donasse. Idem præstitisse *Ottones. Henricum II. Imperatorem* Bambergensem Ecclesiam fundasse & ditasse. *Comitissam Mahtildem* paternam hæreditatem amplissimam B. Petro tradidisse. Sylvestrum dona Imperatoria accepisse. Damasum, Stephanum, Leonem, Adrianum, Gregorium, in possessione tot bonorum mansisse.

Possessio opum subtiliter distincta.

Nova dein & subtili distinctione viam elabendi quærit. Possessionem *bonorum* vel esse ut *propriorum*, vel ut *communium*. Sic posse propria bona contemni, communia tamen amplissima possideri. Sic Pontificem possidere totius Ecclesiæ bona, non ut propria, sed ut communia, quorum sit dispensator legitimus. Exempla allegat eorum, qui bona prius sua omnia vendiderint, postea ad Episcopatus evecti publicas opes amplissimas non repudiaverint, sed cupide acceperint & possederint, imo acceptis aliorum magnis opibus ac hæreditatibus locupletaverint. Commendat *Bernhardini* effatum: *Ego neque Episcopatum neque Cardinalatum cupio; At neque summum Episcopatum, nisi fortassis imperium simul orbis cum Papatu consequi possem. Tunc enim possem Reip. Christianæ optimè consulere, leges statuens bonas, & legum observantiam inducens. At Papatus sine imperio nil nisi molestia fuerit: Cum male viventes vellem quidem sed non possem coërcere.* Asperitatem dicti mitigat Æneas, quod vir sanctus *jocabundus* hoc dixerit, qui festivus & urbanus homo fuerit, sed in joco veritatem non prætermiserit, altisque sensibus sit usus.

Non excusat Papam, si *opibus Ecclesiæ male utatur*, vel inter consangvineos Christi hæreditatem distribuendo, vel voluptatibus & deliciis illa consumendo. Quod si tale quid ageret Pontifex, maximi Dei judicium expectandum esse, qui aut Papam de medio tollat, vel alio modo provideat.

Cap. XCVIII. Omnes *voluptates* à Papa declinat, & seriis negotiis eum continuo occupatum memorat; qui divinis interfit, legationes Principum audiat, &c.

Cap. XCIX. *Cardinalium pompam*, non omnium, sed quorundam, excusat *communi collegiorum fato*, quorum nullum sit omnino mundum, cum & inter Apostolos deprehensus Judas.

Ornatus curiæ Ro. illustratus.

Exceptionem: *In sancto quid faciat aurum, quid mulæ gemmis & ostro tectæ, ministri serico vestiti?* Dissolvit, modestiam quidem servandam omnino, asserens, interim dignitatem suo honore non esse spoliandam. *Si magistratus secularis suo utatur fulgore, non esse Christum suo decore privandum.* Christi honorem esse, si ministri ejus afficiantur honore. Gaudere Christum, suos ministros honore fulgentes intuentem. Exemplum repetit à *Sacerdotibus Judæorum ornatis.* Aliam rationem à *judicio vulgi* petit, qui contemtufus esset hos Christi ministros, si coram altari splendide, dein sordide essent vestiti. *Decet, qui Reipublicæ præsunt, ut dignitate antestant, ita etiam & vestibus & ornatu & comitatu præcedere populum.* Reprehendit Julianum Apostatam, qui, cum imperium suscepisset, pompam omnem fastumque è palatio summoverit. *Quà in re*, antiquorum judicio, *Socratis Philosophi, non Imperatoris opus peregerit.* Cujus sententiæ occasione distingvit inter opus summi præsulis, & Cardinalium, & religiosorum.

Novum denique argumentum petit pro Papæ opibus & splendore ab exemplis Monachorum Benedicti, Bernhardi, Cisterciensium & Carthusiensium, qui communiter magnas opes possideant, castella item & oppida obtineant, & nihilominus sancti habeantur. Majori ergo jure summo Pontifici magnas competere opes.

Cap: C. Sanctionis pragmaticæ autores exagitat, qui constitutionis suæ confirmationem à Papa expetere absurde statuerint, vel si non esset confirmaturus

turus pro sua autoritate arroganter sint roboraturi, &, si Papa fulminibus sit impediturus, ad futurum concilium appellare decreverint, quas appellationum formulas sua quæque provincia & diœcesis habere teneatur. Retundere se putat optime has machinas vindiciis autoritatis ac summæ potestatis Pontificiæ. *Germanos ex Rom. sedis pendere judicio, non illam ad Germanorum posse redigi voluntatem.* Addit Johannis Papæ effatum: *Si Imperator Catholicus est, filius est, non præsul Ecclesiæ.* Simile gloriosum oraculum repetit ex gestis Bonifacii, *Papam cunctos judicaturum, à nemine judicandum, nisi à fide deprehendatur devius.* Laudat & Stephani Papæ decretum: *Quicquid Rom. Ecclesia statuit, quicquid ordinat, perpetuo irrefragabiliter observandum est.* Ex hoc credito dominio colligit, temerarios esse Germanos, qui leges Pragmaticæ sanctionis sibi condant invito superiore, Papa. Superiorem autem non agnoscere Papam, esse hæresin. *Fidem enim hanc rectam esse, Rom. sedis primatum credere, & quod illa de Deo sentit, tenere.* In Constantiensi Concilio definitum esse: Errorem esse, *Ecclesiam non habere primatum*, damnando illam Hussi & Hieronymi Pragensis sententiam.

Germanorum consilia, de sua Sanctione Pragmatica per Papam confirmanda, rejectum.

Cap. CI. *Appellationes Germanorum ad Concilium* simpliciter irridet. A Papa, utpote principe, domino, neminem posse appellare. Quod domesticis quorundam Pontificum *testimoniis* probare conatur, Aurelii, Gelasii, Innocentii, Simmachi. *Rationem* à pari repetit. *Leges civiles neque à principe seculari admittere appellationem.* Quanto minus ab Ecclesiastico Principe.

Appellatio Germanorum à Papa ad Concilium repudiata.

Ex quo arroganter prorumpit in comparationem Papæ & Imperatoris: *Si Papa*, inquit, *simul & Imperator conferantur, quantum inter solem & lunam interest, tantum eos differre dicemus, & Papam soli, Imperatorem lunæ assimilabimus.*

Aliam rationem quærit in *natura appellationis.* Appellationem ab inferiore ad superiorem deferri: Papam autem esse priorem & majorem omnibus: Quare ab eo non posse provocari.

Exceptionem, *Concilium esse majus Papa*, negat, idque ex Gelasio se ostensurum autumat, qui à synodo ad Papam appellatum fuisse affirmet. Unde Concilio majorem esse Papam constet. Ita & Simmachum exclusisse Concilium hoc effato: *Aliorum causas Deum voluisse per homines terminare, sed sedis Rom. præsulem suo, sine quæstione, reservasse arbitrio. Quare si quid sit, quod gravius ille agat, non esse recalcitrandum, sed ferendum.* Si quis ergo à Papa prematur, *ferendum* esse, repetit.

Concilium an sit majus Papa?

Ad querelam, *de injusto per Papam imposito onere*, respondet, *justam potius aut promeritam esse passionem aut pœnam, quam Papa juste infligat. Tu dicis, male agit in me Papa, & ille te male agere, ait. Cui credamus? Privato, an Principi, majori an minori? Quis non putet apud majorem esse veritatem?*

Apud majores major veritas.

Ad exceptionem: *superiori competere judicium*, respondet, *Superiorem Papa Deum esse, qui suo tempore sit judicaturus.*

Scrupulum, *Fortassis Papam non metuere Deum*, eximit, *Non esse putandum illos inquisitoris non habere formidinem, qui sub solius Dei sint judicio & examine. Judicabitur*, inquit, *ne time, Rom. Pontifex.*

Dubium & querelam, *Durum esse id judicium expectare*, componit: *Duriorem esse illam querelam. Cum Deus omni hora possit judicare Pontificem.*

Exaggerat posthæc incommoda oritura ex appellatione à Papa ad Concilium permissa. Quasi hoc sit sceleribus omnibus dare locum, si Papæ non relinquatur summum judicium. Oportere enim litis aliquem esse terminum, apud Judicem nempe supremum, à quo non liceat appellare. Ab inferiori Magistratu permissam esse appellationem, ne grassentur judices in pauperes homines: Sed à Principe non superesse provocationem: Cum *majestas superior non sit tam prona ad injuriam quam inferior.*

Cap. CII. Scrupulum ultimum: *Papam omnino aliquando esse injurium*, mol-

lissime eximere laborat. *Dum sumus in hac vita mortali, non est possibile, humanis legibus cuncta tolli pericula, & omnia mala è medio hominum propulsari. Ideo legumlatores, dum duo mala imminere concernunt, & alterum posse lege vitari, alterum omnino ferendum esse vident, id lege auferunt quod perniciosius animadvertunt.* Quam politiæ regulam antequam applicet, prius illustrat exemplo lupanaris. *Publica lupanaria in civitatibus constituta videmus, ne juventus libidinis impatiens legitimas matrimoniorum faces irrumpens adulteriis cuncta permisceat aut virginibus vim inferat, licet fornicatio prohibita sit.* Applicat hæc ad duo mala Ecclesiastica, *injuriam à Papa aliquibus illatam, & provocationem à Papa ad Concilium. Majores, quamvis Rom. Pontificem aliquando posse esse injurium non dubitarent, non tamen appellandum ab eo, sanxisse.* Rationem addit: Quod injuriam ab illa sede rarissime venturam arbitrati sint Majores. Privatos homines, si sit liberum, in quavis causa appellaturos. Ut nunquam litium videatur futurus finis. *Injuriæ* igitur *tolerantiam* præfert Æneas appellationi. *Si omnino aliquid injuste tolerandum est, tutius Reipublicæ est aliquem indigna pati, quam totam confundi rempublicam.*

Ex duobus malis minus eligendum.

Appellatio ad Concilium damnata.

In Conclusione libri, c. CIII. hortatur Æneas Mejerum, qui ipse unionem Ecclesiæ servet, Archi-Episcopum Moguntinum reliquosque Episcopos moneat, qui in devotione Romanæ sedis maneant, qui beneficiis potius Rom. præsulem vincere debeant, quam rebellioni studere. Caroli M. exemplum jactat, qui cum jugum Rom. sedis excutere esset rogatus, retinuerit. *Servanda*, inquit, *est cum mansuetudine humilitas. Et licet vix ferendum ab illa sede sancta imponatur, jugum feramus & pia devotione toleremus.* Extollit ergo postremo magnis encomiis Rom. sedem, petram, in quâ fundata sit Ecclesia, reginam, Magistram, caput Ecclesiarum, & refugium afflictorum. Humili ergo corde hanc dominam revereri jubet. Alioquin cum matre afflicta lucturas filias. *Facile esse incipere bellum, finire arduum.*

Moguntinus Elector ad devotionem erga Ro. sedem invitatus.

Hæc est Æneæ Sylvii Cardinalis, quam novo Germanorum pro Reformatione studio opposuit machinam. Argutum hoc *Itali* ingenium in debellandis Germanorum desideriis, qui post Constantiense ac Basileense novum expetiverant Concilium Generale, juxta decretum Concilii Constantiensis, singulis decenniis novum generale concilium esse congregandum, ad reformandam melius Ecclesiam.

Sensit Germania hos aculeos æneos. Maxime cum mox Æneas hic æneus ipsam auream conscenderet sedem Pontificalem, *Pii II.* præfulgido charactere insignis, armaque ferrea & fulmina dira Pontificalia capesseret contra Germanos, nequicquam pro sua, ut ajebant, libertate machinaturos.

Neque adeo ad hoc a Cardinale confectum & Germaniæ objectum argutum opus publice tunc responsum. Donec sub *Imperatore Maximiliano*, post 50 annos, A. 1515. *VVimphelingius*, Germanus, Theologus grandævus, Cæsaris Maximiliani nutum secutus, publico nomine responderet. Cujus pro Germania *Apologiæ VVimphelingianæ* argumentum infra suo dabimus loco.

Operi Sylviano sero responsum.

CAPUT

CAPUT XV.

De repetitis Germanorum Principum desideriis, qui Concilium universale novum *& in eo* Ecclesiastici regiminis emendationem *poscerent, A.* 1461.

SUperiores *querelæ Principum Germanorum* sub Pio II. in thronum Papalem evecto vehementer auctæ, tantum abest, Æneæ, adhuc Cardinalis, consiliis atque literis fuerint sopitæ aut extinctæ. Defuncto quippe Theodorico, *Electore Moguntino*, successor *Dietherus*, *Elector Moguntinus*, juxta antecessoris & Principum Germaniæ sanctiones, *Annatas Ro. curiæ denegavit.* *Elector Moguntinus, Annatas denegavit Romanis.*

Quæ res Pii II. animum tantopere exacerbavit, ut hunc *Electorem* dignitate omni exueret, ac excommunicationis fulminibus feriret, substituto *Adolpho Nassovio.* *Excommunicatus ideo.*

Hinc ortæ graviores ac *acerbiores Principum querelæ*, quæ tum in cruenta erumperent bella, tum in *Concilii universalis desiderium publicum* abirent.

Neque chartis interea parsum est utrinque. Quoniam de Papæ jure certatum ex utraque parte acriter. Quod vel res *Gregorii ab Heimburg*, ab *autore Paralipomenωn Abbatis Ursberg.* à *Goldasto*, *Hottingero* & aliis descriptæ, abunde testantur.

Quanquam verò istis bellis tandem imponeretur finis, *desiderium* tamen *Concilii universalis inter Germanos* non expiravit, sed crevit indies. *Novũ apud Germanos Concilii desideriũ.*

CAPUT XVI.

De restitutis publice Regulis Cancellariæ Rom. de quibus reformandis tanto cum apparatu & tam longo tempore ex voto Gersonis in Concilio Const. ac Basileensi inter Germanos erat actum. A. 1484.

EX quo æs in aurum transiit, Æneâ Pontifice Pio creato, A. 1458. nullumque de universali Concilio verbum amplius Romæ admissum, neq; Reformationi Constantiensi locus ullus relictus: *Cancellariæ regulæ*, de quibus ultra quinquaginta annos, maximo animi & affectuum motu disputaverat totus orbis Christianus in Concilio Constantiensi ac Basileensi, utroque Generali, pluribusque Nationalibus, in Gallia & Germania, omni sepolito metu, pristinam iterum libertatem, à *Bonifacio IX. Alexandro V. & Johanne* XXIII. partam, plene obtinuerunt.

Certè haud longe ab hoc *Pio* II. cum *Innocentius* IIX, *A.* 1484. d. 30. *Augusti* in Papalem sedem esset evectus, quæ pro more statim à *Nicolao de Castello* erant factæ *hujus Pontificis Regulæ Cancellariæ*, & à *Roderico Episcopo Portuensi, Ro. Ecclesiæ Vice-Cancellario* d. 23. Sept. in Cancellaria Apostolica publicatæ, typis publicis quoque extempore *Regulæ Cancellariæ Rom.*

typis primum excusæ.

sunt impressæ, universoque orbi absque omni formidine illo adhuc seculo expositæ, quæ universalibus Conciliis, & Præsidum majestate ac splendore, & tractationis ardore incomparabilibus, jam jam erant acerrime infestatæ. Ut illa tanto cum apparatu ac studio instructa & tot annis continuata Concilia œcumenica fumo jam essent leviora facta & umbrâ fugaciora.

Editor IctusRomanus.

Edidit autem illas *Regulas Cancellariæ* in Curia tunc Romana veteranus miles, *JCtus in Papali aula versatissimus*, qui à temporibus Pii II. quatuor Paparum, Pii II. Pauli II, Sixti IV & Innocentii IIX regimen suis viderat oculis, publicis in Romana urbe & curia officiis functus. Quippe qui de se ipso memorat, se 27. annis volvisse ac revolvisse jus Canonicum & Civile. Quorum 22. praxin exercuerit in Ro. Curia, & quinque annis legerit vel docuerit in cathedra. Addidit hic sub Innocentio IIX. curiæ Papalis minister, Ictus peracutus, suæ huic Regularum Cancellariæ editioni *notas* aut *Commentarium* haud exiguum. Quia nomen operi non adjectum, *Baptista Platina* ab aliis pro editore ac Glossatore habitus. Quo nomine sæpius illas notas allegat *Johannes Lydius in Analectis in Clemangii librum de Corrupto Ecclesiæ statu, p.* 11. Qui & *Parisiis* A. 1529. apud *Jean Petit* has Innocentii IIX regulas Cancellariæ cum laudata Glossa editas observat. Quæ posterior editio in nostras non incidit manus, sed prior & antiquior illa. Neque verò nobis fit verosimile, Platinam Glossarum harum autorem extitisse, cum Platinam obiisse memorent A. 1481, scriptæ autem hæ & regulæ & notæ A. 1484. Neque Platinam Juris Professorem fuisse causarumque Patronum constat. Præterea hic Glossator *de Jubilæo*, de *futuro Concilio*, similisque materiæ libros complures scripsit, inter Platinæ monumenta aliàs non relatos. Forte Glossator hic fuit *Alfonsus Sotto*, quem *Quintilianus Mandosius*, Ictus, Advocatus Romanus, in *Commentario in Regulas Cancellariæ Apostolicæ Julii* III. *Venetiis A.*1554. impresso, in procœmio *antiquum* appellat *Regularum Cancellariæ Apostolicæ commentatorem*, quem & in illorum Commentatorum ordine *Ludovico Gomez* & *Guilielmo Cassadoro* præmittit. *Petrus Rebuffus* in *Additionibus ad Regulas Cancellariæ* prorsus eum præteriisse videtur.

Glossator Regularum Cancellariæ Rom. primus.

Alfonsus Sotto.

doctus, ingenuus.

Ceterum hic *Glossator antiquus* & omnino primus, quisquis demum fuerit, Ictus in Curia tunc notissimus, qui omnem vitam in Curia transegerat, publicis muneribus defunctus, ut doctrina & scriptis illa ætate inclaruit, ita & candore & scribendi fandique sinceritate insignis fuerit.

Regularũ Cancellariæ Ro. finem esse auri studium.

Hic sane in *Commentario* isthoc non celat, quo de olim questi erant cum *Gersono* Galli in Concilio Constantientiensi ac Basileensi unà cum Germanis; Nimirum, illas Pontificum Cancellariæ regulas artificiose compositas esse ad venandum aurum. Constabit hoc ex stilo ejus non illepido, quem pauculis inde petitis exemplis designare fas erit.

Cum in Regularum Cancellariæ Proëmio dictum esset, Innocen-

centium Papam VIII. suorum antecessorum vestigia in condendis his regulis ac reservationibus determinandis sequi: In Glossa quæstionem primùm movet; Quando Pontifex sit dicendus, an à tempore electionis, vel coronationis? Quo de fusius se egisse notat *libro de Jubilæo*, Sixto Papæ inscripto: Cujus à se scripti eum pœnitet, quod ab eo frustra quæsiverit, ut solveret 60. florenos, quos ipsi pro lectura (Professione) sua debuisset, quos nunquam solutos acceperit, adeoque laborem perdiderit & pecuniam. Porro, *quæ ante coronationem signet Papa*, digna judicat omnia, quæ postea ab eo rescindantur. *Illud*, inquit, *quod tunc facit præ gaudio, non deberet valere, quia est quasi extra mentem.*

Quando *officium Vice-Cancellarii in Ro. curia* denotavit, *justitiæ præsidere, Papam Cancellarium Christi* dici ait, *à cancello, cancellas, i. e. tollo, tollis, scilicet id, quod injuste petitur, & non quod tollat bona Christi &c.* *Papa cur dictus Cancellarius Christi?*

Sub Regula octava candide pronunciat Glossator Romanus: *Multa conceduntur & statuuntur causa extorquendi pecunias indirecte. Magna est liberalitas sedis Apostolicæ: Quia dat plumbum & exigit aurum.* *Liberalitas sedis Ro.*

Ad regulam 37. scribit inter alia: *Papa quotidie decipitur per suos Secretarios, & per suos Cardinales.*

Sub Regula 47. quæ agit de literis dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis vel affinitatis, aut aliàs prohibito, scribit Noster Romanus: *Agitur de exbursanda pecunia. Et ut facta curiæ non intelligantur ab omnibus, maxime extra curiam, ponuntur hæc verba:* ET SIMILIA. *Et audio, quod pœnitentiaria servet hanc regulam, sed de Separatione nescio. Et camera etiam deberet servare. Sed pro pecunia credo quod ista clausula non poneretur, nec quoad raptam nec quoad separationem. Nam omnia venalia Romæ, ut ait Salustius.* Et paulo post iterum: *Ponitur ista clausula ad justificationem Ecclesiæ, & ad exbursandum pecunias.* *Regula de exbursanda pecunia.*

Ad regulam 48 scribit Glossator Romanus: *Aliqui* DOCTORES PER PLACEBO DOMINO *volunt tenere, quod posset Papa legitimare quoad temporalia & quoad successiones. Sed Deus novit an hoc sit verum.* Et deinde: *Agitur hic de exbursanda pecunia.* Item: *An Papa possit legitimare in terris Regum vel Imperatorum quoad temporalia, non est meum hic dicere.* Item: *Unum non omitto circa legitimationem: Quod etiam in terris Ecclesiæ Papa non possit ex ordinaria potestate legitimare filium Presbyteri, ut succedat in patrimonialibus presbyteri. Quia fit præjudicium Ecclesiæ, cui sunt bona clerici obligata pro mala administratione Ecclesiæ, quam gessit. Si tamen ipse (Papa) faceret, ex certa scientia, valeret in bona hora. Quia nullus potest dicere ipsi, cur ita facis.* *Doctorum per placebo Domino.*

Sub regula 53. notat Glossator Romanus: *Credo, quod sit facta regula, etiam à principio, ad extorquendas pecunias, tam pro officialibus, quam etiam pro aliis.* Quando fraudem contra regulam detexit, addit: *Miror de satrapis pecuniarum, quod non inveniant*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

modum ad tollendas has fraudes. Et mox : *Agitur de exbursandis pecuniis.*

Studiorum juris Canonici gradus.

Ad regulam 55. observat : *Quia in Studio* (Academia) *præsumitur quis doctus, si studuerit per septennium, maxime in jure Canonico, justum fuit, ne Ecclesia gravaretur servitio, & alii etiam combeneficiati, ut daretur in studio septennium, & in curia quinquennium, in qua posset quis bene instrui quoad malitias.*

Indulgentiarum quæstores.

Sub regula 56. quæ agit de Indulgentiis, ait Romanus Commentator: *indulgentiæ sunt odiosæ, propter quæstores, qui non quærunt commodum animarum, sed potius pecuniarum.*

Ad regulam 57 : *A quolibet Pontifice petatur nova Indulgentia, etiam non facta mentione alterius indulgentiæ, concessæ ab alio Pontifice, vel ab aliis Pontificibus.*

Sub reg. 58. *Papa in his, quæ sunt facti, quotidie potest decipi.*

Auri vis in sacris.

Sub reg. 59. De certo annorum, duorum aut trium intervallo, quamdiu indulgentiæ cathedralibus concessæ durare possint : *Camera*, inquit Glossator Romanus, *credo non servaret regulam. Daret hæc omnino in duplum, si essent pecuniæ.*

Ad reg. 63. *Camera, ut intellexi, tempore Sixti expedivit Bullas mediante oculo caligante. Cancellaria noluit hoc corrigere, quia transiverat per Cameram. Nam ex quo Papa apposuit manus, ipsa Cancellaria se non potest intromittere. Sed in rei veritate non erassent Domini Cancellariæ, si vigore mandati papæ correxissent. Quia tunc ipse Papa fecit, & non ipsi.*

Camera, Ro. mater pecuniarum.

Ad reg. 66. *Camera, quæ est mater pecuniarum, etiamsi esset frater de observantia S. Francisci, per talem simplicem signaturam daret habitus mutationem & religionis translationem.*

Sylvus curiæ ignorantium.

Sub reg. 69, quæ jubet executoriales vel sequestra aut remissiones expedire sub Bulla vel plumbo, Glossator observat, *hoc à Vice-Cancellario non observari.* Quare miratur, *Vice-Cancellarium posse derogare regulæ Pontificis: Cum inferior constitutionem superioris tollere non possit.* Interrogasse se doctissimos viros, eosque in Cancellaria practicos, ait, qui respondere non potuerint. *Quare dixi*, pergit, *transeant ignorantes cum ignorantia sua. Et in hoc potest tolerari derogatio illa per* CANCELLARIUM DE STYLO CURIÆ IGNORANTIUM. Addit: *Cognovi istum Vice-Cancellarium* (Rodericum Borgiam, ab Ænea Sylvio laudatum, supr. fol. 207.) *tempore trium Pontificum, & semper fecit hoc, & semper fuit ista regula.*

Ubi titulus de potestate Vice-Cancellarii agere suasit, *hic parce se dicturum* Glossator inquit Romanus, tum quod bullam creationis ejus non habeat, tum *quod metuat, ne vera dicendo displiceat.* Unam igitur solum quæstionem movet: *An sede vacante cum Papa jus Vice-Cancellarii expiraverit? Atqui*, inquit false, POSITI IN TITULO DE STYLO IGNORANTIUM *dicebant, quod sede vacante potestas Vice-Cancellarii & aliorum & officia omnia curiæ expiraverint per obitum Papæ, excepto Camerario & Pœnitentiario. Sed salva determina-*

minatione omnium hoc asserentium, hoc dictum est falsissimum de jure.

Sub ultima Innocentii regula: *Fit hoc propter simplices ignorantes, ad cautelam, ut sæpius dixi superius. In sententia de nihilo servit regula, nisi quod Papa ostendat nimiam reverentiam, quam habet ad Cardinales. Pro nunc placeat Deo, ut ita fiat imposterum, maxime quoad omnes etiam particulares. Et ita sperandum est propter bonitatem ejus.*

Postremo de suspensis indulgentiis plenariis ex quavis causa, etiam expeditionis contra Turcos, à prædecessore concessis, scribit: *Possem aliqua juridica dicere, quæ forte generarent scandalum contra Apostolicam sedem. Ideo nunc taceo. Licet enim possit imponere decimas contra Saracenos, ut volunt, & quod dari possit cruciata contra schismaticos & rebelles Ecclesiæ: Tamen hoc ego non nego, si id fieret: Sed aliqui utuntur in alios usus &c. de quo satis dixi alibi. Et quia aliquo modo alitus sum à sede Apostolica, cum lacrymis tamen sangvinis non debeo aliquid dicere contra eam.* Et paulo post de eadem regula indulgentias concernente: *Indirecte*, inquit, *videtur secunda pars facta* AD EXBURSANDAS PECUNIAS.

Indulgentiarum jus, usus, scopus.

Hæc de Cancellariæ Apostolicæ regulis antiquus *Commentator Romanus, admodum ingenuus*, & morum Curiæ Ro. satis superque peritus.

CAPUT XVII.

De Imperatoris Maximiliani ardentibus pro universali Reformatione Ecclesiastica votis A. 1510.

POsthæc MAXIMILIANUS IMPERATOR, ut in regno ita & consiliis successor ac æmulus Sigismundi & Friderici Cæsarum, idem saxum magno molimine cœpit volvere. Quam ardenter *Maximilianus Cæsar* ad communem Ecclesiæ Reformationem adspiraverit, luculenter illa ætate testatus est *Johannes Faber Augustanus, Theologus ordinis Prædicatorum*, Cæsari à consiliis sacris, *in oratione funebri*, cum pientissimus ac literatissimus hic Imperator in oppido Wels Austriæ reconderetur, præsente Matthæo Cardinale, Archiepiscopo Salzburgensi, & aliis viris illustribus, A. 1518. d. 16. Jan. habita. *Nihil indoluit magis*, inquit, *Cæsar optimus, quam quod toties verba fuerint habita de nescia qua* Christianorum Reformatione, atque ad pristinæ innocentiæ Christianæ normam reductione, *cum tamen nullus unquam subsecutus fuerit effectus. Sciebat Cæsar, pluriesque replicabat, quod inanis sit medela ac plane frustra apponatur cura pedibus, nisi capiti, brachiis ac cordi prius abunde fuerit provisum. Unde* universalem semper desideravit collapsorum morum reformationem. *Non quidem fictam, non verbis palliatam, cui nihil subsit operis, sed sinceram, sed veram ac integram, quemadmodum & sibi in Deum & Ecclesiam mens erat vera, integra atque sincera.*

Joh. Faber Maximiliani consiliari Ecclesiasticus.

Maximiliano Imp. communē morū reformationem impense desideravit.

Sane

Peutingerus Maximiliani Consiliarius.

Cum *Peutingero* Augustano, Consiliario suo, *Keisersbergio, Wimphelingio*, aliisque Theologis doctissimis, frequentissime his de rebus disseruit, suaque impensa Reformationis desideria illis exposuit. Memorabile est, quod laudatus *Joh. Faber*, in aula Cæsaris versatus & ab eo in consiliis sacris adhibitus, pectorisque Cæsarei conscius, Episcpus dein Viennensis factus, in eadem oratione funebri commemorat de arcanis consiliis Cæsaris in negotio Ecclesiæ, Peutingero detectis. *Ut non nisi vera dicamus*, inquit, *Christi legem ad amussim sciebat. Literas sacras, quantum deceat principem, (acsi longis seculis diligentissimam dedisset operam) adeo novit, ut cum quovis homine etiam doctissimo ac exercitatissimo de his potuerit sane conferre. Quid vel arcani vel mysterii in divinis literis comprehensum, quod ipsum latuisset? Voluit Majestas sua (dum adhuc viveret) nescio quæ arcana, paucis aut nullis hactenus pandita, in lucem prodere, habita super hoc nonnullorum doctissimorum hominum consilio: Inter quos & ille omnium literatorum ac literarum optimarum decus & gloria Conradus Peutinger, Augustanus, Juris Consultus, Majestati suæ tum à consilio atque arcanis, ex præcipuis erat. Adeo animus ille sacri Cæsaris nostri divinorum scatebat notitia, ut & ad alios effundere summo teneretur desiderio.*

Maximiliani eruditio.

Arcana de Ecclesiastico statu consilia.

Non certe hæc Maximiliani Cæsaris *arcana sacra* fuerint alia, quàm quæ ad diu animo voluram Ecclesiæ communem Reformationem collimarent, publicis quoque literis, ut deinde dicetur, haud obscure ab eodem subindicata. Quod autem Maximilianus spei ac voti sui non fuerit factus compos, excusat idem Cæsaris in sacris consiliarius *Joh. Faber*, in eadem oratione funebri. Qui cum anhelantem Cæsarem & ad Reformationem enixe adspirantem delineasset, addit: *At, quia vir sanguinum visus est esse, cum, quantumvis ex se vir pacis esset, tantus suo tempore, quo præfuit Imperio Ro. effusus sit sanguis Christianus, noluit forte Deus Max. ob id, sicuti neque ab altero David, à Cæsare Maximiliano sibi construi templum: Sed cum Salomone id quo perficiatur ac plane in finem bonum deducatur, potentissimo Regi Carolo, Cæsaris Nepoti ac filio, reservatum est.*

Maximilianus non factus voti sui compos, quoad reformationē statu Ecclesiastici.

Gravamina Germanicæ Nationis decem, cum Remediis & Avisamentis ad Cæsaream Majestatem, A. 1510. prodita, à *Goldasto, Constitutionum Imperialium Tom. III. f.* 110. *seqq.* exhibita, sive Wimphelingii, sive alterius calamo delineata, prorsus ad tenorem Gravaminum, ante 50 annos sub Friderico III. Anno 1457. à *Cancellario Mejero* exhibitorum, sunt composita.

Antiqua Gravamina Germanorum repetita.

Sane *Jacobo Wimphelingio, Slestadiensi, Theologiæ Professori, seni, MAXIMILIANUS* A. 1510. hoc dedit officii, qui quæ in Basileensi Concilio ad votum Constantiensis Concilii de Ecclesiasticæ disciplinæ reformatione erant sancita, ac postea *Pragmaticæ sanctionis* nomine definita, suis illustraret monitis, ad Christianum decorem tandem in Ecclesiam reducendum.

Wimphelingio datum à Cæsare negotium.

Obtemperavit *Wimphelingius*, ac *Cæsari Maximiliano* Pragmaticæ Sanctionis, ex Basileensi Concilio profectæ nervum, cum notis atque

atq; monitis devotissime exhibuit. Non ingratum lectori, Ecclesiasticã historiam amanti & fata superiora cognoscendi avido, futurum, si hic & *Maximiliani Cæsaris mandatum* & *Wimphelingii obsequium* ipsis eorum dederimus verbis. Quæ tametsi & à *Goldasto l. c. f.* 123. *seqq.* visa literis conservata, *mutilata* tamen illa, quod illorum cum his ex *primo Codice* haustis collatio ostendet. Edidit autem hæc *Wimphelingiana* Slestadii A. 1520. *Jacobus Spiegel, Slestadiensis*, celebris Ictus, *Secretarius Regius Caroli V.* Wimphelingii Avunculus, ac inscripsit Maximiliano à Bergis, Imperatoris Caroli V. oratori, hoc titulo: *Divo Maximiliano jubente Pragmaticæ sanctionis medulla excerpta.*

Cæsaris autem Maximiliani mandatum hoc est:

MAximilianus divina favente clementia, E. Romanorum Imperator semper Augustus &c. Honorabili, devoto, nobis dilecto, *Jacobo Wimphelingo Selestadiensi*, Sacræ Theologiæ professori, familiari nostro.

Epistola Cæsaris Maximiliani ad Wimphelingium de Pragmatica sanctione.

Honorabilis, devote, dilecte. Mittimus in præsentiarum ad te Secretarium nostrum cum *Pragmatica sanctione Regni Franciæ*, commissimusque ei tibi nostro nomine nonnulla referenda. Quæ cum *ex mente nostra proficiscantur*, cupiamusque omnino, interveniente opera & industria tua, in talibus nobis satisfieri: Ideo hortamur te, & per tuam in nos & sacrum Romanum Imperium observantiam (quam opusculis & lucubratiunculis tuis jam dudum habuimus compertam) requirimus, ut non modo *Secretario nostro indubitatam adhibeas fidem*, sed te eum in his, quem etiam non requisitus à nobis præstitisti, exhibeas. Quare hoc tempore à te nihil nobis gratius fieri poterit. Cupimus autem dictum Secretarium nostrum (quoniam ejus opera diutius carere non possumus) cum hoc voto nostro à te expeditum, quamprimum ad nos remitti. Datum in oppido nostro Imperiali *Uberlingen*, die XVIII. Mensis Septempris, Anno Domini M. D. X. Regni nostri Romani XXV.

Per Regem.

Invictissimo D. nostro Imp. Maximiliano *Jacobus Wimphelingius Selestadiensis* Humillimam Commendationem.

Responsio Wimphelingii ad Cæsarem.

VIctoriosissime Cæsar. Lecta Cæsareæ tuæ Majestatis Epistola, moxque accepta à Secretario instructione, totis ad id viribus me accinxi, ut id, *quod Cæsarea tua Majestas desiderat* (quantum cum Deo & absque conscientiæ vulnere fieri potest) efficiam. Ab ineunte enim ætate omnem operam meam Cæsareæ primum tuæ Majestati, deinde *Germanicæ nationis* & Sacri Romani Imperii *amplificationi* devovi atque dedicavi. Quamvis me voto & instituto longe imparem sciam, & multi sint in aula tua, qui hoc munus absolutissime implere valeant, quibus major est eruditio, majorque rerum istarum communium experientia. Sunt & apud reliquos Principes & apud Senatus rerumpublicarum optimi & doctissimi viri, qui *Germaniam exornare, & ad pacem concordiamque universalis Ecclesiæ*, atque *ad totius cleri, ad Christianam disciplinam reducendi*, famam & gloriam, persuadere possent. In qua re non modo tua Majestas, sed & tui in Imperio præcessores Carolus magnus, ejusque filius Ludovicus Pius, Othones, denique Cuonradi, Friderici, & Henrici, novissime autem SIGISMUNDUS, summa industria operam navarunt, impellente ipsos indubie zelo & charitate in Deum optimum Maximum & gratitudine in Christum pro ipsius in humanum genus beneficiis, præcipue autem amarissimæ passionis. Neque enim Christus pauper pro nobis

Germanicæ nationis amantissimus Wimphelingius.

Reformatio Ecclesiæ desiderata.

factus est, ut nos in omni rerum opulentia & luxu de ipsius patrimonio cupiditatem nostram & ambitionem prodamus. Neque famem pertulit, ut nos ingurgitemur, neque labores, castimoniam & dira tormenta subiit, ut nos in otio, in lascivia, inque omnibus deliciis & voluptatibus versemur. Neque hi, quibus res ecclesiastica sua debet incrementa, quantum ad ditionem temporalem attinet, huc respexisse videntur, ut in otio tantum clerici degerent, omnibus rebus ad vota fruentes, citra tamen laborem. Alia certe causa fuit, cur illi, seque suosque nonnunquam spoliantes, ecclesiam ditandam censuerint. Nimirum, ut commodius divinis officiis vacare possent, absque sollicitudine defuturi victus, quem ex agris, nemoribus, pratis ac aquis facile colligere liceret: Et ut pauperibus Christi, viduis, orphanis & senibus, quos robur corporis prorsus destituit, ac ægrotantibus eleemosynam liberalius impertirent. Sic etiam *in institutionibus canonica professionis*, quas auspicio Imperatoris Ludovici Pii conscriptas putamus, ab Episcoporum concilio comprobatas, sic inquam legitur: *Res ecclesiæ* (sicut à sanctis patribus traditur, & in superioribus capitulis continetur) *vota sunt fidelium, pretia peccatorum & patrimonia pauperum.* Fideles namque fidei ardore & Christi amore succensi, ob animarum suarum remedium, & cœlestis patriæ desiderium, suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt ecclesiam, ut iis & milites Christi alerentur, ecclesiæ exornarentur, pauperes recrearentur & captivi pro temporum opportunitate redimerentur. Quapropter vigilanti ac solerti cura providendum est his, qui ejus facultates administrant, ne eos in suos solummodo usus convertant, sed magis (juxta possibilitatem rerum) Christo famulantium, imo eorum, in quibus Christus pascitur & vestitur, curam gerere penitus non negligant. Subscribit huic sententiæ *Prosper*, asserens, *viros sanctos res ecclesiæ non vendicasse in usus suos, ut proprias, sed ut commodatas pauperibus divisisse.* Nam *hoc esse possidendo contemnere, non sibi, sed aliis possidere*, nec habendi cupiditate ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. *Quod habet*, inquit, *Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune; nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, erogare debet, quando nihil aliud est habentibus dare, quam perdere.* Hactenus aliena retulimus. Proinde cum omnes, Christi religionem professos, eidem servatori nostro gratos esse expediat, magis tamen id peculiares ejus ministros, hoc est, *sacerdotes*, sacris initiatos, & de liberalitate tanta Imperatorum & procerum, cæterorumque fidelium, affatim provisos, ut ab aratro & manuum laboribus alieni simus, tantorum beneficiorum decet meminisse. Quo nostra vita populo bilem non moveat, nec ad oblocutionem & odium præbeat ansam: Sed ut ædificentur laici, amicitia mutua floreat, offendicula & sentes evellantur, Reverendi antistites, cum suo clero pietati dedito, sint in sua veneratione, & in ipsum quoque summum Pont. Sacrosanctamque Rom. Ecclesiam universorum filialis affectus, & in spiritualibus obedientia, fulciatur. Quapropter, Serenissime Cæsar, celsitudini tuæ, quæ tam honesto & *sancto negotio* christianissime afficitur, non potui non morem gerere, collectis tumultuarie nonnullis, quæ dedita opera & apud diversas Ecclesias & in conventibus præstantium virorum, partim *vidi*, partim ex fide dignis *audivi*. Quæ mihi, si *tollantur*, *ad Germaniæ commodum*, & ad *divini cultus amplificationem*, *plurimum conducere* videntur. Et ego ad id absolvendum tuæque Majestati in omnibus obtequendum promtior fui, primum, quod Nepotem meum *Jacobum Spiegel*, tuæ Majestatis Secretarium, ex labore meo majorem tuam in se benignitatem assecuturum confisus sum: Deinde, quod sub Imperio Rom. natus & alitus, merito, uti natura subditus, tuæ inservio voluntati: Postremo, ut hac opera, patriam meam, Majestatis tuæ patrocinio commendatiorem facerem. *Selestadium* enim natale mihi oppidum omnibus terris charius, in Alsatiæ meditullio situm, provinciis Austriacæ ditionis parvo sane intervallo cingitur. Quantum enim Brisages absunt? Sungavii?

Clericos otium & luxus non decent.

Res Ecclesiæ.

Curatores bonorum Ecclesiasticorum sint fidi.

Sacerdotum obligatio.

Maximilianus reformandi cleri cupidus.

vii? Quantum vallis Albertica, in Vogeso? Ut de minutioribus locis taceam. Si igitur Selestadium vel à Gallis vel ab aliis hostibus (quod absit) premi contingat, quis illi melius subvenire possit quam Princeps Austriacus? Siquidem *vicinus vicino Deus est.* Et solet nonnunquam *ingentis esse beneficii causa, pauperum obsequium in tempore exhibitum.* Ex Argentorato, Calend. Novemb. MDX.

Epitome in Procemium pragmaticæ sanctionis.

PROOEMIUM.

IN procemio *pragmaticæ sanctionis* narratur, quod ab exordio nascentis Ecclesiæ, Reges Franciæ, prælati & proceres, in regno & Delphinatu erexerint & dotaverint Ecclesias, cœnobia, & alia loca sacra, ad gloriam Dei & ad augmentum divini cultus. *Ecclesiæ in Gallia sancte fundatæ.*

Item, quod instituerint in illis locis ministros idoneos ad propagandam fidem, ad bonos mores & exempla virtutum.

Item, quod à sanctis patribus conditi sint canones pro felici regimine status Ecclesiastici.

Item, quod, quamdiu canones illi observati fuerunt, floruerit in Ecclesia Dei honestas, disciplina, religio, pietas, & pax.

Additio ad pragmaticæ procemium.

SImilia narrare posset Cæs. tua Majestas, quomodo *Ecclesiæ Cathedrales & Collegiatæ in Germania* erectæ, & amplissimis possessionibus dotatæ sint à Rom. Imperatoribus, ab illustrissimis Ducibus, cæteris Principibus. Sicut in *Lupoldo*, de *Zelo & fervore veterum principum Germanorum*, clarissime reperitur. Et certo constat, multas Ecclesias à *Carolo Magno* & *Henrico Cæsare* erectas & dotatas. *Spirensem* à ducibus Sveviæ & Austriæ locupletatam &c. *Argentinensem* à Dagoberto Rege Austrasiæ exaltatam: Sicque de aliis Ecclesiis & cœnobiis *Germanicæ nationis* in Austria, Saxonia, utraque Burgundia, cæterisque Germanorum principum regionibus erectis atque dotatis. *Ecclesiæ in Germania religiose fundata.*

Consequenter exordium pragmaticæ narrat, quod ex *ambitione* & *avaritia* (quæ patrum decreta contemnit) subsecutæ sint: *Ambitionis & avaritiæ in Clero damna.*

Morum corruptiones atque deformationes,
Status Ecclesiastici dehonestationes,
Usurpationes gravissimæ.

Præsertim hæc fieri per *Prælaturarum & dignitatum, aliorumq; beneficiorum Ecclesiasticorum reservationes, & per gratiarum* ad vacatura beneficia *expectativarum*, à jure valde exorbitantium, *multiplicationes*, & per innumerabiles *concessiones*, gravissimaque & *importabilia onera*, quibus Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ regni afflictæ, oppressæ, & quasi ad internecionem redactæ his diebus conspiciuntur. Nam Ecclesiarum & beneficiorum *pecunias indigni exterique occupant.* *Reservationes Papales taxata.* *Onera Ecclesia notata.*

Majores *dignitates* opulentioraque *beneficia, personis conferuntur incognitis & non probatis.* *Officia sacra indignis collata.*

Pauci in Ecclesiis resident. Quia cum sint plurales, ubique residere & præsentias deservire non possunt, vultusque commissi sibi gregis non agnoscunt.

Animarum cura neglecta, temporalia lucra solummodo quæruntur.

Christi cultus diminuitur, *Animarum cura negligitur,*
Subtrahitur hospitalitas, *Ecclesiarum jura depereunt,*
Ruunt ædificia, *Populi devotio attenuatur.*

Studiorum neglectus ob præmiorum defectum.

Clerici regni nostri scientiis & virtutibus effulgentes, qui in ædificationem plebis nostræ vacare possent, & qui pro Regiis & Ecclesiæ publicis consiliis, forent opportuni, divinarum humanarumque scientiarum *studia deserunt*, propter promotionis ad beneficia spem eis ablatam.

Votum alienæ mortis oritur.

Corruptissimo olim statu Ecclesiasticus in Gallia.

Lites infinitæ, contentiones & rixæ, rancores & odia inter Christi ministros suscitantur, nutriuntur, atque foventur.

Pluralitatis beneficiorum execrabilis ambitio fovetur.

Pauperes clerici cum rerum suarum discrimine per calumniosos cavillososve *opprimuntur.*

Beneficia per litium anfractus injuste sæpius occupantur.

Beneficia inofficiata relinquuntur.

Beneficia Simoniace acquiruntur.

Juvenibus bonæ indolis evagandi licentia præbetur, qui literis & virtutibus intendere deberent.

Prælatis & cæteris ordinariis collatoribus jus suum atq; ministerium aufertur.

Ordo Ecclesiæ Hierarchicus confunditur. Plurima adversus divina atq; humana jura in animarum perniciem, & Ecclesiarum regni nostri oppressionem & conculcationem perpetrantur.

Sicq;

Regni opes exportatæ.

Jura coronæ nostræ depereunt, atque *thesauri regni nostri in externas regiones deportantur.*

Præmissa hæc *Carolus septimus rex Francorum*, cæterique prælati ecclesiarum, cognoscentes talia, stimulantibus eorum conscientiis, absque gravissima dei offensa diutius dissimulare non potuerunt.

Itaque decreta hæc *Basileensis Synodi* partim ut jacent, partim cum quibusdam moderaminibus aut epikeis, recipienda consenserunt.

Additio ad procœmium Pragmaticæ.

Melior status Ecclesiarum in Germania, ubi Patroni Ecclesiarum sunt Germani, non Curiales Romani.

UT ad oculum hæc omnia vera esse demonstretur, discernant boni & æqui judices (qui saltem diligenter considerarunt) si non floreat *diligentior divinus cultus, ordinatior cantus*, si non fiant pauciores in choro confusiones, si non sint minores factiones, minores lites, minor pecuniarum effusio, minora offendicula seu scandala, minor concubinarum pompa & luxus, in illis *collegiis & Ecclesiis, ad quæ per gratias apostolicas non patet aditus.* Exemplum sumatur de Ecclesia parochiali *Friburgensi*, de collegio *Badensi*, *Heidelbergensi*, *& Nova civitatis* Spirensis Diœcesis. Ubi licet parva sint collegia, mediocresque præbendæ, quasdam tamen alias, quas *insatiabiles Curtisani* occupare, & in quibus post crebras lites, patrimoniorum dissipationes, præbendas pingiores possidere possunt, in omnibus divinis officiis, in omni Ecclesiastica disciplina, & in personarum concordia, pace, & tranquillitate excellere videntur. Ignoscant mihi multi optimi sacerdotes, qui & in cathedralibus & in collegiatis devote Deo serviunt, quibus contentiones, lites, levitates, evagationes, confabulationes & cæteræ dissolutiones admodum displicent. Exemplum denique sumatur ab *ecclesiis parochialibus, ad quas gratiæ Apostolicæ sese non extendunt*, quibus de idoneo rectore seu curato citius providetur, quam his *quæ sub gratiis cadunt.* Quippe quæ interdum propter diversos collitigantes, variasque ipsorum astutias, ad biennium aut triennium, certo & idoneo pastore caruerunt. Et cum vix tandem aliquis *curtisanorum* victor aliorum in parochia aliqua utcunque evaserit, vel in ea non residet, vel si residet, non prædicat, nec cancellos ascendit, ut saltem pro summo Pontifice proque Sacrosancta Ecclesia Romana, proq; Cæsarea Majestate, aut contra Turcas, ad Deum preces à populo fieri exhortetur. Non sic contingit de Ecclesiis parochialibus ad quas *curtisani* seu *curiales per gratias Apostolicas* non admittuntur. Exemplum sumatur de Ecclesia parochiali Friburgensi, Heidelbergensi, Badensi, Ulmensi, Francofurtensi, ad quas, cum vacant, è vestigio de idoneis rectoribus, salubriter absque omni lite, absq; multa pecuniarum effusione providendas, vel Principes, vel universitates, ve

Juris Patronatus in Ecclesiis Germanicis penes Germanos fructus.

senal

senatus, jus præsentandi habentes, mature & statim deliberant, & ad Dei honorem, animarumque salutem, bonos atque doctos viros, eis absque controversia præficiunt, qui personaliter residentes per seipsos prædicant, populum verbo & exemplo ædificant, ac suas oves in viam salutis (ut veri pastores) dirigunt. De quo summis Pontificibus pastoribusque nostris gaudendum & exultandum esset, qui & recte agerent, si ad similes quoque curatos in aliis locis fideli populo præficiendos sint cooperaturi. Ipsi etiam de animabus omnium Christi fidelium precioso ejus sanguine redemtorum exactissimam Domino Deo in extremo judicio rationem sunt reddituri. Sicut *Julius secundus, summus Pontifex* noster, in exordio *bullæ suæ contra Joannem Bentivolum*, sponte & humilime confitetur, & Platina in Cœlestino V. eidem Reverendissimos dominos Cardinales affirmasse narrat, omnia mala tum accidentia in die judicii sibi imputatum iri.

De Electione. Cap. Primum.

GEneralis *reservatio* omnium Ecclesiarum monasteriorum, & dignitatum electivarum per Romanum pontificem fieri non debet, neque factis est utendum, præterquam in terris ecclesiæ Romanæ subjectis. *De cura Ecclesiarum in Gallia.*

Quod omnibus illis Ecclesiis per electionem & confirmationem Canonicam, secundum juris communis dispositionem provideatur.

Quod privilegiis & consuetudinibus rationabilibus per hoc non derogetur.

Nec summus Pontifex contraveniat, nisi ex legitimis causis in bullis nominatim expressis. Papa in assumtione sua hæc se juret observaturum.

Electione prælati vel Episcopi facta, confirmator non solum [ratione confirmationis] aliquid, quantumcunque parvum, non exigat, sed etiam gratis oblata sub nomine subventionis, subsidii, gratitudinis, aut alio colore, prætextu cujusvis consuetudinis aut privilegii, per se vel per alium nullatenus recipere præsumat.

Qui his contravenerit, ipso jure confirmationis perpetuo sit privatus.

Nec summus quidem Pontifex aliquid pro confirmatione accipiat, alioquin futuro concilio deferatur.

De reservationibus.

OMnes reservationes revocantur, exceptis illis, quæ vel in corpore juris expressæ sunt, vel quæ in terris ecclesiæ Romanæ subjectis fiunt.

De Collationibus.

PRæter damna, quæ in procemio narrata sunt, alia etiam incommoda oriuntur ex multiplicatione gratiarum expectativarum. Primo, quod clerici in gratiis patrimonium & parentum opes exhauriunt. *Galli sibi vindicarunt jus vocationis in officiis Ecclesiasticis.*

Secundo, quod hi quibus aut major proximum circumveniendi astutia, aut ad litigandum facultas suppetit uberior, beneficia sibi vendicant.

Tertio, quod sub involutionibus prærogativarum aut antelationum & aliorum hujusmodi gratias concomitantium plurimæ fraudes committuntur.

Propter istas & alias in procemio expressas causas statuit Sancta *Basileensis Synodus*: Quod summus Pontifex gratias expectativas aut nominationes amodo nulla ex causa concedat.

Potest tamen disponere Papa de uno beneficio ad collationem, in qua decem, & de duobus ad collationem, in qua fuerint quinquaginta & ultra beneficia.

Locus est præventioni, si ordinarii sint negligentes.

Ordinarii hunc ordinem in conferendis beneficiis & dignitatibus servent.

In omnibus metropolitanis & cathedralibus Ecclesiis sit Theologus.

Tertia pars præbendarum conferatur graduatis, præcipue theologis, nisi

forte esset, qui duas prius obtineret præbendas, quarum una ad æstimationem valeret ducentorum *florenorum Cameræ, hoc est ducatorum.*

De Parochialibus Ecclesiis sic provideant ordinarii.

Officiis sacris qui admovendi.

IN Ecclesiis Parochialibus, quæ in civitatibus aut villis muratis existunt, instituantur personæ idoneæ, quæ ad tres annos in theologia vel altero jurium studuerint, seu Magistri in artibus sint.

De Numero Cardinalium.

Cardinalium dispositio ex voto Gallorum.

ECclesiæ Romanæ *Cardinales* sint numero tantum *viginti quatuor. Nec assumantur minores triginta annis.* Sint *magistri, doctores, vel licentiati* in jure divino & humano. Sit saltem tertia vel quarta pars de Magistris aut Licentiatis Theologiæ. Pauci vero ex eis sint filii, fratres, aut nepotes, Regum & magnorum Principum.

De Annatis.

Pro electione, vocatione, confirmatione, nihil pendendum.

STatuit hæc sancta Synodus, quod in Ecclesia Romana & alibi, in confirmatione electionum, admissione postulationum, præsentatione, investitura, sacris ordinibus ac pallio, nihil penitus ante vel post exigatur, ratione literarum, bullæ, sigilli, annatarum, communium & minutorum servitiorum, primorum fructuum. Scriptoribus tamen, abbreviatoribus & registratoribus literarum seu minutarum, pro ipsorum labore competens salarium solvi potest. Ad laborem autem, non ad fructuum beneficii valorem respici debet.

Ex Glossa.

Concilii Basileensis decretum.

HOc *decretum de annatis, ante dissolutionem Concilii*, quod ab Eugenio Papa indictum fuit, *factum est.* Et multi Reges Franciæ, immo & beatus Ludovicus, qui miraculis claret, & in numerum divorum relatus est, *prohibuerunt, ne tales annatæ in regno Franciæ exigerentur.*

Hæc quoad Pragmaticam sanctionem.

Additio ex Platina, qui descripsit vitam Pontificum.

LEo secundus Papa sancte instituit, ne ad Archiepiscopatum assumtus, pro usu pallii aliorumve officiorum quicquam Ecclesiæ persolveret, cum ex hac largitione multa quotidie mala oriantur. Legatur *Platina* in *Leone secundo, Robertusque Gagvinus in Epitome Regum Galliæ*, sub Carolo septimo. Illum Robertum virum sanctum ac integrum extitisse, *Sifridus Schon jureconsultus*, ejus quondam auditor, nobis narravit.

De actionibus & *astutiis* quorundam *Curtisanorum.*

Curialium Romanorum magnus olim numerus in Ecclesiis Germaniæ.

CUrtisani plerique seu *Curiales*, non de omnibus dico, contra *concordata Principum* excogitant & *fingunt multos* sanctissimi Domini nostri Papæ Reverendissimorumque Cardinalium *familiares*, etiamsi non fuerint, ut beneficia eorum reservata esse contendant: Nempe, si quispiam solum semel in tenello vel aula comederit: Ut hoc pacto prælati in terris nostris sua collatione in mensibus ordinariis priventur. Narrabat id olim Reverendus Dominus *Johannes Camerarius Dalburgus*, Vangionum antistes, pio *Philippo, Comiti Rheni Palatino ac Principi Electori*, cum Nemetense privilegium cassari tentabatur, quo doctores rite & legitime, non ob preces & munera, promoti à cathedrali templo, annuente non gratis *Sixto quarto*, ejecti sunt, ne bullatos pariter recipere capitulum cogeretur, teste Henrico Helmstattino Decano, qui minus quandoque idoneis, & præpropere insignia conferri asserebat. Ita *docti indoctorum vitio dispendia patiuntur.*

Quin imo Curtisani nonnulli (uti fama est) studebant laicos quoque privare suo jure patronatus. Audiatur Reverendus *Episcopus Basileensis, Christophorus, & Eras-*

Erasmus ad lacum, vulgo, zu dem Weyer. Quidam *Curialis* conatus est præclaræ urbi Nurembergensi auferre collationem duarum parochiarum sive Præpositurarum, & transferre in Reverendum Episcopum Bambergensem, ut amodo sub gratiis caderent Apostolicis, sicque pro se aut suis ex Roma impetraret, quod ex Nuremberga desperabat. Ex ejus ore ego ipse audivi. Sed mors hominem ista molientem divino nutu intercepit.

Curtisani etiam quidam nuper conati sunt preces supprimere regales, quibus & pertinacissime restiterunt, non absque contemtu Cæsareæ tuæ Majestatis, ne dicam ignominia quadam Germanicæ nationis, acsi propter quæstum temporalem commodumque privatum, non erubescerent, propriæ patriæ (quam omnes naturaliter amant) esse proditores. Curtisani nonnulli *inexplebili avaritia sua* præstant [ut vereor] occasionem, ut laici à novorum beneficiorum fundatione, ætate nostra plurimum retrahantur. Quis enim vir prudens patrimonium suum clero dicare volet, timens hæredes aut posteros suos jure patronatus & collationis, (quod ipsa devotio tribuit) non solum privandos, sed etiam pistores, aut coquos aut alios indoctissimos, de suis bonis in luxu & otio esse sovendos? præcipue, cum nec psallere, nec sacrificare norint, aut nolint. Quodsi populares interdum pro clero seculari annuos reditus instituunt, sola fundant stipendia, vel (uti vocant) officia, non autem sacerdotia, in quibus aliquis investiatur, timentes illa quocunque eventu, vel obitu possessorum in urbe aut Italia, venire in manus eorum, qui [cum bona venia] *perspicaciores habent oculos, ad aurum in absentia percipiendum, quam ad rem divinam.* Quod si, missis in fundatione institutis, per religiosos cucullatos vel alios, sex numis pro missa contentos, forsitan satisfiat, residuis fructibus ad beneficiatum (ubi fuerit) transmissis: Nemo tamen in psalmis, in missis, in vigiliis, in vesperis, in matutinis decantandis, & in visitandis mortuorum sepulchris, vicem illius absentis implet. Sicut in *Selestadio*, patria mea, tuo & Imperii Romani fidelissimo oppido, clerum & proceres venerante, multis annis unus solus *Beatus Diemus* proh dolor resedit, cum fuissent illic undecim Capellaniæ, à laicis olim fundatæ, ac per absentiam possessorum in reditibus attenuatæ. Nunc vero earum unione facta, & collatione in Consules, confirmante sacrosancta sede Apostolica (apud quam summa fides est & integritas) translata, Capellani residentes divinum pro virili cultum conservabunt. Cujus diminuendi metu, quidam Præpositus, Curtisanis plurimum affectus, de sacello sub sua nuper parochia erecto, & in decus Divi Wolfgangi dotato, vehementer anxius fuit, ne futuris temporibus *manus* incideret *Curialium*. His auribus ex eo audivi. Nam & nonnulli hujus generis sacrificuli totum nitebantur suarum Capellaniarum corpus, absentes, omnibus missis neglectis, absorbere, jactitantes, & fundationi & ultimæ fundatorum voluntati de plenitudine potestatis esse derogatum. Id teste Deo ego ipse audivi. Contra hanc impietatem eorum, qui ecclesias expilant, privilegia rumpunt, divinum cultum obtruncant, jus patronatus prælatis & laicis auferunt, qui satiari non possunt, qui pauperibus panem ab ore præripiunt, qui super statutis, super sacratissimis canonibus, à spiritu Sancto conditis, super juramentis præstitis, super pactis & transactionibus, & super ultimis voluntatibus, dispensationes aut relaxationes utcunque extrahunt. Ac contra tam execrandam avaritiam, Deo & bonis hominibus molestam, raro audivimus *religiosos cucullatos* (*quibus heu facilis patet ad suggestum ascensus*) reprehensionem aut admonitionem afferre, timentes forsitan, magnos sibi in jejunio pisces subtrahi, aut suos conservatores Apostolicos & advocatos, quorum in litibus (ad quas eos pronos *Capnion* expertus est) opera nonnunquam utuntur, offensum iri. Veritas enim odium parit. Id quod quidam mendicans ex ordine illorum, quos *magistros nostros* vocant, nuper, rejecto omni pudore, insinuabat. Cui cum hæc Christi verba paterne inculcarem: Nolite timere eos, qui possunt corpus occidere: Quodq; concionatores evangelici

Curiales Romani in Germanis Ecclesiis, juribus Cæsaris & Germanorum olim molesti.

Imperitia cleri illis temporibus.

Auri melior cognitio quam ara.

Egregia vox Clerici.

gelici pro veritate morti exponere sese deberent: Subsannando clamitabat, *Hoc faciat vacadæmon vice mea.* O hypocrisin, o assentationem, Christo inimicam, & magnatum seductricem.

Familiares Papæ Principibus Germaniæ molesti.

Curtisani quandoque *à proximis* sanctissimi domini nostri *Papæ familiaribus, jura gratiarum expectativarum* utcunque *mendicasse* aut obtinuisse dicebantur, ut filios etiam illustrium Principum & Comitum gratias habentes à possessione in patria nostra expellerent. Et visi sunt Principum Electorum filii nothis annuas præstitisse pensiones. Quod ad pacem mutuamque sacerdotii & imperii concordiam minime deservire videtur.

Insidiæ sacræ.

Curtisani quandoque *prælatis* aut aliis *infirmis* aut *senio confectis*, qui supra triennium, imo ad decem aut viginti annos, præbendas vel sacerdotia rite pacificeque possederunt, absque omni causa legitima *lites movent*, in jus vocant, *ut ipsi in loca defunctorum mox surrogentur.* Sicque nedum patroni collatione sua spoliantur, sed & hi sua spe destituuntur, qui *gratias apostolicas multo labore vel ære extraxerunt.* Ex multis unus occurrit *Michael Architectus* cognatus *Cranonis Udenheymii*, qui licet legitime tribus lustris Sacerdotium Spirense possederit, timet tamen sibi ex hac gente negotium fieri.

Aurum ex Germania exportatum.

Curtisani plerique raro etiam sui similes, qui per gratias Apostolicas aut alioquin ad beneficia intrant, quietos & pacificos manere sinunt, sed lites ipsis movent, ut saltim terreant, utque beneficia, quantumvis parva, pensionibus graventur. Et oriuntur sæpe lites diuturnæ, quibus *pecunia ex Germania transferuntur*, & nonnunquam amicorum *opes*, qui clerico litiganti ipsis conjuncto assistunt, *exhauriuntur.* Imo tanta, proh pudor, nonnunquam *in dedicendis litibus auri & argenti summa profunditur*, quanta tantum beneficium fundari potuisset, pro quo certatum est: Saltem tanti reditus ad vitam hominis comparari potuissent, quanti sunt proventus sacerdotii aut præbendæ, pro qua litigatum est. De tam indigna *patrimoniorum profusione*, pius quidam *Carthusianus*, cognomento *Alantse*, lamentabilem ad Reverendum Episcopum Basiliensem dedit epistolam, cum frater ejus *Augustinus* litigando propemodum defecisset. Nec ego crediderim, tantam Reipublicæ perniciem, tantam impietatem, optimos quosque magistratus, Helvetiorum exemplo, si plene certiores redderentur, in civitatibus suis esse toleraturos.

Beneficiorũ sacrorum prælatis usui.

Curtisani aliqui non erubescebant interdum in eodem templo duas occupare præbendas, saltem ad tempus, etiam plures Capellanias sub uno tecto, imo in omnibus collegiatis, duabus aut tribus, & in ipsa quoque Cathedrali Ecclesiis, in una & eadem civitate sitis, Canonicatus & Vicarias impudenter usurparunt, in maximum divini cultus detrimentum animarumque suarum non mediocrem jacturam. Imo nonnulli præbendis, parochiis & pensionibus abundantissime provisi, affectarunt & acceptarunt tenuissima *sacerdotia*, vix tres aut quatuor aureos nummos absentibus ipsis importantia, cum risu quodam asserentes, *unum pro sinapi, alterum pro ollis, aliud pro scopis emendis* sibi profutura.

Canonicatuum plurium possessio tota.

Quinque siquidem Curtisani occupaverunt sedecim Vicarias & Canonicatus simul in una civitate, demtis Capellaniis, dignitatibus & officiis in eisdem Ecclesiis, & multis pingvibus parochiis extra civitatem. Sicque cassantur ultimæ fundatorum (qui distributiones quotidianas pro animarum suarum salute auxerunt) voluntates, & divinus cultus mirum in modum diminuitur. Quoties etiam celebrantur officia defunctorum, undecim vigiliæ & totidem missæ omittuntur, & fraudantur pii fideles, qui se pluribus vigiliis & missis lectis vel auditis citius speraverunt ex igne purgatorio liberandos. Quod utique omni honestati & rationi naturæque legi plurimum adversari videtur. Nec vero allegare possunt Curtisani tenuitatem præbendarum aut beneficiorum. Nam quælibet illarum præbendarum aut Canonicatuum (in quibus illi personaliter non resident, præsentias quotidie deserviendo) enutrire posset juris aut theo-

logiæ

logiæ Licentiatum, frugalem & honestum saltem & à luxu alienum, ecclesiæque Dei utilem, qui & sacro imperio Romano salubribus consiliis suis prodesse posset. Itaque ubi interdum sunt decem & octo præbendæ, vix sex aut octo resident, chorum saltem ibi quotidie frequentantes. Sicque perit hospitalitas, truncantur eleemosynæ, damnum patitur Respublica. Quoniam sedecim honesti cleri, in sedecim locis residentes, majorem hospitalitatem, majorem eleemosynam, majus commodum Reipublicæ mechanicis atque vicinis inferrent, quàm solum quinque, sedecim loca occupantes. Nec timeat avarus, nummos & aurum longe magis quam Deum & Dei cultum amans, si singuli residerent, non crescere indies truncum, uti vocant, aut quotidianas distributiones, nisi ut impius & infidelis vacillet de veritate inquientis: Primum quærite reguum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Ubi enim ex sancta consvetudine cuncti adesse coguntur, præsentias ipsas, vel ex statutis, vel ex testamentis, aut fidelium munificentia, non minus augeri, argumento sint Nemetenses.

Jucundus præbendarum usus.

Abusus turpis.

Curtisani aliqui etiam in beneficiis maxime opulenti [contra *can. Dolentes referimus, de celeb. miss.*] rarissime sacrificare sive celebrare videntur. Imo nonnulli eorum, neglectis omnibus missis, more laicorum semel in anno corpori Christi communicant. Unde & quisque Romanus Imperator totaque ecclesia catholica, imo & summi Pontifices jacturam non mediocrem sustinent. In omni enim missæ officio pro eorum salute peculiaris memoria fieri consvevit. Maximum vero missarum esse fructum, nemo ambigit vere Christianus. Quem quisquis ultro impedierit, & dominicæ passionis representandæ suppressor, & divini judicii contemtor, imo Dei osor esse videtur. At *qui stultus fuit in culpa, sapiens erit in pœna.*

Decretal. l. 3. tit. 41. c. 9.

Neglectus sacrorum apud Curiales Romanos.

Curtisani nonnulli eos qui à teneris annis in publicis gymnasiis amore studii, cum patrimonii diminutione, cumque multis miseriis & laboribus, gradus tandem vel in theologia vel jure, non obiter, sed digne consecuti sunt, proq; statu honesto in Ecclesiis aut collegiis consequendo gratias Apostolicas extrahunt, miris modis quandoque molestiis affecerunt, & non admodum Christiane inquietarunt, ne cum pace ad præbendas ascendere potuissent. Imo & qui viginti & eo amplius annos in universitatibus publice legerunt, bonasque doctrinas ad fidei Christianæ exaltationem professi sunt, non fuere prorsus securi & tuti ab eis, qui cellæ vinariæ, pistrino & coquinæ aut vilioribus officiis præfuerunt. Sicque docti & studiosi viri, sacro Imperio & Christianæ Ecclesiæ utiles, beneficia consequi non facile possunt. Exemplum sumatur *à Petro Wackero*, qui licet doctissimus & integerrimus, cum viginti quatuor annos Heidelbergæ in utroque jure legisset, ex gratia expectativa nihil prorsus, nec vicariam quidem in cathedrali, consequi potuit. Possent & huc adduci *Jacobus Rackenspurger*, in sacris & Pontificiis literis doctissimus, & *Joannes Collaurus*, jureconsultus, qui nec Cæsarea tua Majestate (cui servierunt) ut ab importunis molestiis & vexationibus immunes & liberi forent, freti sunt atque gavisi. Et præclarus juris interpres *Henricus Cotherus*, licet moribus & vita exemplaris, licet frequenter ad populum prædicaret, licet plebem ad Ecclesiam traheret, non potuit tamen absque litium sumtibus & molestiis manere tranquillus atque quietus. Taceo hic *Othmarum Luscinium*, quem sacræ & Pontificiæ imo etiam græcæ literæ commendant. Taceo *Jacobum Landsbergium* nobilem & eruditum. Taceo *Johannem Storckium & Joannem Mannium*, municipes meos, Romæ diu conversatos. Quibus conjicio perspectam integritatem, & innocentiam, metumq; vulnerandæ conscientiæ, quo difficilius & tardius sacerdotia nancisserentur, obstitisse. Ex hac radice, quod docti & præsertim Theologi ab avaris impediuntur, forte pauci extant, qui ad regendas animarum curas & ad docendos in cancellis populos apti sunt & idonei. Neque enim facile, qui mulis præfuerunt, crebroque per plateas cucurrerunt, sacras aut pontificias literas accurate versa-

Docti viri Germani à Curialibus Romanis oppressi.

Egregii clerici.

versare ac animo imbibere sive complecti potuerunt, ut Christi tandem Evangelium simplicibus agricolis (quorum labore & sudore clerus & proceres foventur) prædicare possint. Nihil hic affero *de theologastris, qui, ut Petrum Hispanum cum Tartareto, & quartum Gabrielis vel audierunt, vel lectitarunt, obiter sublimati insolescunt.*

Theologastri.

Curtisani quidam neque nobiles neque docti, etsi *titulo doctoratus glorientur*, non timent *Bullam Execrabilis, Joannis XXII.* nec can. *De multa, de præbendis*, nec can. *Quia nonnulli, de clericis non residentibus.* Nec curant verba *Pii secundi*, qui sic ad *Regem Franciæ Ludovicum undecimum* scripsit: *Viri doctis in universitatibus literarum studia sectantibus subveniendum esse non ignoramus. Ab iis enim Catholica fides defenditur & doctrinæ lumen propagatur.* Nec attendunt, quod super eorum avaritia nequaquam possit dispensari, quam olim *Franciscus Petrarcha ad Urbanum quintum* detestatus est. Audivimus denique *Innocentium octavum* cujusdam in sacerdotiis nimium opulenti ampliorem à se attentatam rapacitatem ore proprio cohibuisse, quippe cum nec rite promotus doctor, nec sangvine nobilis esset.

Extrav. Com. lib. 3. tit. 2. c. 4. Decretal. l. 3. tit. 5. c. 28. & l. 3. tit. 4. c. 3.

Curtisani quandoque non solùm singulares personas, quæ in universitatibus bonas literas didicere, sed etiam totas quarundam universitatum Respublicas, in beneficiis, pro exaltatione fidei incorporatis, vexaverunt. Nisi fallor, Friburgense, Tubingense, & Moguntinum gymnasia testimonium hic perhibere possent.

Academia vexata à Curialibus Romanis.

Curtisani etsi aliqui graduati & juris Pontificii periti sunt, vigilantius tamen videntur revolvere materias præbendarum, dignitatum, reservationum, & regularum Cancellariæ, similiumque studiorum, quibus præbendæ pro se & suis accumulantur, & *thesauri Romani Imperii in externas regiones transportantur.* Nec propriæ patriæ jacturam timent, modo *eorum marsupia auro, domus pretiosa supellectile, coquinæ cupediis* ex cumulo præbendarum refarciantur. Taceo hic de libellis, productis, replicis, & id genus cæteris, nec Evangelio, nec justitiæ maturius obtinendæ admodum consentaneis, quæ minus conjugatos legum peritos dedecerent.

Auri libratio gratior quam librorum. Dulcis usus beneficiorũ sacrorum.

Sanctissimi Domini nostri *Papæ* & Reverendissimorum patrum *Cardinalium* aut aliorum *familiares*, quandoque pro servitiis, nequaquam ad spiritualia ordinatis, sed ad profana, utpote vel in pœnu, coquina, pistrino, equorum carceribus, vel aucupio exhibitis, in suorum mercedem beneficia, à Germanis Principibus, aliisque devotis nostris majoribus, longe in alium finem fundata, recepisse perhibentur. Id quod sacris literis uti simoniacum interdictum est, si saltem scripta *Thomæ Aquinatis* sacra censentur.

Impensæ sacræ.

Curtisani plerique nunquam hactenus contenti fuerunt, nunquam beneficia vacantia explorare cessarunt, ut ea impetrarent, nunquam litibus finem imposuere, sed usque in senectam & senium, & ferme in sepulchrum assiduam dederant operam, ut alios, beneficiis itidem dignos, & nondum honeste provisos gratiis, privilegiis, antelationibus, regressibus, instrumentis, sclavis ipsorum scriptis, aut quibuscunque astutiis impedirent, vincerent, & expellerent. Quod revera domino Deo displicet, neque id Dionysius, nec Phalaris, neque Nero, neque Turcus æquum judicaret.

Lites infinitæ pro sacris opibus.

De iis & aliis avarissimorum, sacerdotia sine fine multiplicantium, fraudibus & astutiis, pie *admonendus* esse videtur *summus pontifex*, pius omnium fidelium & Germanorum quoque pater & pastor (quo inscio multa contra jus & æquum fiunt) ut sua tandem potestate aliquantulum frenum & moderamen adhiberet. Nec tamen suspicandum est, omnes Curiales præscriptis technis, astibus, vel cupiditatibus irretiri. Sunt inter eos haud dubie, qui & Deum colant & stygias pœnas, & quidem sempiternas, formident. Sunt, qui in *Urbe* absque dolo beneficium sufficiens consecuti ad loca præbendarum reversi, in eisque residentes, Deo & Ecclesiæ serviunt, amicisque & pauperibus benefaciunt,

Onera Germaniæ levanda.

ciunt, in animo suo plene contenti, nequaquam ex avaritia ad plura & pingviora aspirantes. Quippe qui se sciunt propediem morituros, & credunt, se villicationis suæ Domino Deo rationem esse reddituros. Sunt & qui mihi libenter opem tulissent (duo saltem Præpositi) in iis, quæ mihi ipsi, præter omnem culpam, in senecta, sub pileolo contigerunt, sicut & aliis plerisque, qui itidem conquestionem fecerunt de astu eorum, qui Romam sanctam nunquam adiere, quos *Curtisanos Germanicos* appellant. De quorum vita & finibus (si Deus volet) alio loco scripturi sumus.

Tuum vero erit, *Sacratissime Cæsar*, si per gravissimas maximorum negotiorum occupationes, *quæ in hanc insatiabilem & execrandam impietatem animo christianissime concepisti*, prosequi ipse forsitan non poteris, ea, ut ad Dei gloriam, ecclesiæ unitatem, Germaniæque incrementum feliciter expleantur, cæteris Imperii Romani Principibus, præcipue vero tuis clarissimis Nepotibus, Carolo & Ferdinando, demandare: Ut & hujuscemodi sycophantiæ & technæ, Christi sacerdotibus indecoræ, sopiantur, & *onera gravaminaque Germanorum* (quorum aliqua mox subjiciemus) accedente summi & maximi Pontificis atque pastoris consensu & auctoritate, *tolerabiliora* reddantur & *leviora*. *Maximiliani cura pro Ecclesia Germanica liberanda.*

Hæc Maximiliano Cæsari dedit Wimphelingius, Anno 1510.

Caput XVIII.

De resuscitata Reformatione Ecclesiastica, Concordatorum nomine a Nicolao V. olim determinata.

A. 1513.

Triennio ab hinc elapso A. 1513. superius c. XII. laudata *Concordata Principum Nationis Germanicæ, cum argumentis sive summariis novis*, luci reddidit *Argentinæ* Wimphelingius.

In conclusione vehementer conquestus est de *antiquis* illis salubribus *Germanorum constitutionibus* neglectis ac sepultis, quibus revocandis *Pontificis Julii II.* & *Cæsaris Maximiliani* opera necessaria.

Inter alia acerbis, pro illorum seculorum genio, interdum & lepidis verbis atque characteribus, exemplo Gersonis ac coætaneorum sub Concilio Constantiensi, illam *corruptionem* excepit.

Wimphelingii luso serii in corruptionem illius temporis.

Sulper his artibus, (ait inter alia) *commentis, astutiis*,
Calliditatibus, deceptionibus, illusionibus,
Fallaciis, fraudibus, duplicitatibus,
Imposturis, figmentis, technis, calumniis,
Vaframentis, versipellitatibus, dolis,
Smulationibus, trufis, sycophantiis,
Captionibus, vinclis, pedicis, bois
Laqueis, foveis, grassationibus,
Contentionibus, guerris, factionibus,
Brigis, inquietationibus, violentiis,
Turbationibus, minis, tribulationibus,
Vexaminibus, machinationibus, molestiis,
Insidiis, liris, simultatibus, invidentiis,
Rancoribus, tricis, circumductionibus,
Griphis, ribaldariis, gyris, ambagibus,

Circumventionibus, explicationibus, corrosionibus,
Concussionibus, harpyiis rapacitatibus,
Caninis voracitatibus, lupinis appetentiis,
Scylleis & Charybdeis vorticibus,
Damnis, jacturis, rapinis, dispendiis,
Querulosis Germaniæ eviscerationibus,
Horrendis patriæ proditionibus,
Divini cultus suppressionibus,
Rationis & omnis honesti suffocationibus,
Abusibus, corruptelis, deformitatibus,
Immodestiis, audaciis, temeritatibus,
Excessibus, enormitatibus, exorbitantiis,
Flagitiis, impuritatibus, turpitudinibus,
Transgressionibus, injustitiis, malevolentiis,
Prævaricationibus, impietatibus, perfidiis,
Improbitatibus, perversitatibus, commerciis
Execrandis, vetitis nundinationibus,
Mendaciis, gerris, nugis, falsiloquiis,
Nebuloniis, præstigiis, subdolis consiliis,
Interminatis impetrationibus,
Impudentissimis extorsionibus,
Importunissimis inhiationibus,
Iniquis ingressibus, impiissimis regressibus,
Abyssalibus voraginibus & nequitiis,
Quas neque Judæi neque Saraceni inter se impune sustinerent.
Tantis deniq; amplissimorum patrimoniorum enervationibus,
Tantis rei familiaris distractionibus,
Tantis pecuniarum profusionibus,
Quibus vel novæ præbendæ funditus erigi poterant atque dotari,

Germaniæ liberandæ desiderium.

Super his, inquam, & aliis, ut innumeris, ita inhumanis nefandisque, ac Deo & hominibus exosis astibus & iniquitatibus, cum omni humilitate petat *natio nostra* à summo Pontifice clementer remedium adhiberi, & ab isto præsertim Julio II. quem justissimum prædicant & acerrimum justitiæ defensorem omnes noti asseverant. Cujus sanctitas cum optime nunc cum Maximiliano Cæsare nostro consentiat, justas Germaniæ preces non est aspernatura.

CAPUT XIX.

De publica Wimphelingiana responsione ad librum Æneæ Sylvii contra Reformationem Ecclesiasticam à Germanis anxiè expetitam. A.1515.

BIennio abhinc laudatus *Wimphelingius* tandem respondit ad acrem & argutam, ab *Æneæ Sylvio Cardinale*, dein *Pio II. Pontifice*, ante 50. annos factam, desideratæ à Germanis juxta Constantiensis & Basileensis Concilii decreta Reformationis Ecclesiasticæ stricturam, supra c.XIV. recensitam. Liber hunc in fronte gerit titulum: *Germania Æneæ Sylvii. In qua, Candide lector, continentur: Gravamina Germanicæ nationis, Confutatio eorundem, cum Replicis. De Concilio Constantiensi & Basileensi. Describuntur hic urbes, civitates, Ecclesiæ, Episcopatus, Abbatiæ, Principatus & nobilissimæ familiæ Germanorum*

rum: Impugnatur constitutio Synodi Basileensis de collatione Beneficiorum, cum Replicis, in Bulla Leonis X. de Ecclesia reformanda fundatis: De concordatis Principum, De officio Papæ & suis officialibus, De veritate Christianæ religionis. Profectio Jacobi Marchionis Badensis ad Urbem Romam, ejusque oratiuncula ad Papam, ejusque responsio, cum literis commendatitiis Friderici III. & Maximiliani, ceterorumque Germaniæ Principum: De duobus falsariis Romæ sub Innocentio VIII. combustis. Cum gratia & privilegio Cæsareæ Majestatis Excus. in inclyta Argentina, per Renatum Beck, in ædibus zum Thiergarten/ *Anno* 1515. 16. *Cal. Julii.*

Inscripsit hoc opusculum maturo consilio WIMPHELINGIUS ALBERTO, *Brandenburgensi, ArchiEpiscopo Moguntinensi & Magdeburgensi, Imperii Electori, & per Germaniam Cancellario.* Ut studia pia atque fortia conamina Antecessoris olim in illa sede, *Electoris & ArchiEpiscopi Moguntini*, Theoderici Erbacensis, pro Germaniæ Ecclesiæ libertate vindicanda, per Cancellarium Moguntinensem Majorem, ante 50. annos magno animo suscepta, ALBERTO, successori potentissimo, in memoriam revocaret, atq; ad piam, & seriam æmulationem animum adderet. Idq; tanto egit sollicitius, quanto gravius interea, ad eluendam illam à Moguntinensibus olim per Majorem Romæ inustam maculam vel illatam injuriam, Moguntinenses Archiepiscopi & Electores à sede Ro. videbantur pressi, & ad pendendam subinde majorem pro pallio redimendo auri summam, edictis & minis Pontificiis compulsi. In his & ALBERTUS hic, ad ArchiEpiscopatum evectus, sub eodem jam decumbebat auri Romam deportandi onere, neque apparebat adhuc, qua arte tanta auri moles ex subditorum loculis extorquenda. Consilium itaque WIMPHELINGII haud obscurum: ALBERTUS, gravaminum Germaniæ pristinorum memor, onus illud, & sibi à Romanis jam impositum, magnam auri summam Romam absportandi, deponeret, subditis opes relinqueret, vel collectas sibi servaret, Pontificique, iniquo exactori, denegaret, LEONIque è faucibus prædam eriperet, eoque pacto suam & Germanicæ Ecclesiæ libertatem vindicare ac tueri studeret. Quo fine, ut nullus Electori ALBERTO superesset scrupulus, cui, hoc forte machinaturo, objici à Romanis posset gravissima illa ac ænea, si non ferrea, & haud facile infringenda, ÆNEÆ SYLVII pro Romano aurum à Germanis exigendi jure Apologia: Duram hanc *refutandi provinciam* in se suscepit, eamque *refutationem* ALBERTO consecravit. Si qua forte metum excuteret Princeps, & exemplum Antecessoris olim Archi-Episcopi secutus, libertatem justam quæreret sibique vindicaret.

Albertus Elector Moguntinus excitatus, qui Germaniæ libertati consuleret exemplo sui antecessoris.

Quod consilium, hac *Operis dedicatione* ALBERTO suggestum, ex præfatione haud obscurum: Quâ artes Æneæ Itali, Germanis blandiendi, & eorum aurum venandi, aperte depingit. *Quod* igitur MARTINUS MAJOR, *olim Theodorici Erbacensis, Electoris Moguntini, Cancellarius, contra Æneæ machinas indubie fuisset facturus, si superstes esset*, illud *respondendi onus* amicorum suasu se suscepisse

scribit, Germanum pro Germano, Heidelbergensem pro Heidelbergensi, Imperii filium pro Imperio. Ideo verò Moguntinensi Electori ALBERTO se opus dedicare ingenue pronunciat, ut, sicuti *per Cancellarium Moguntinensem Gravamina Germaniæ olim publicata*, ita *querelarum illarum confirmatio ad eundem Electorem redeat.* Commendat simul, calcar occulte additurus, ALBERTI, Episcopi, ut ferarum ita & animarum curam. 14. Cal. Junii A. 1515.

Uti ergo tota plenius constaret rerum à Mejero Cancellario & Ænea Sylvio Cardinale gestarum historia, & sua argutissimo olim Cardinali danda responsio fieret planior: In hoc suo Opere præmisit laudati *Mejeri* decantatam *Epistolam*, decem Germaniæ nationis Gravamina complexam. Dein addidit *Æneæ Sylvii opus de Germania*, in Capita distinctum & summariis ac marginalibus illustratum. Cujus utriusque scripti argumentum supra cap. XIII. & XIV. jam dedimus. Quare *VVIMPHELINGII Replicas* hic pertexisse suffecerit.

Scilicet ad argutam illam *Germaniæ exagitationem*, *à Sylvio* profectam, cum non responsum esset publice, donec *Jacobus Wimphelingius*, *Theologus celebris* Imperatori Maximiliano carus, jam senex, hoc anno in lucem revocatam, præmissa *Mejeri* Epistola, gravamina Germanicæ nationis decem continente, conjunctim iterum sisteret: *Responsionem suam*, aut, ut vocat *Replicas*, concisas & strictim notatas, subjecit, *ad salutem & decorem sacrosancti Rom. Imperii, amore patriæ Germanicæque nationis.*

Opes Germanorum labore partæ.

Æneæ calliditatem primò notat, qui laudes Germaniæ cumulaverit, *ne segnius aurum Romam mitterent*, mellitis verbis deliniti. Blanditias Æneæ, insidias esse, Germanorum opibus structas. *Labore illas à Germanis partas & frugalitate*, profitetur. Sed & *illis in Germania opus esse*, monet, ad templa, ad urbes, vias, & Respublicas, ad patriam defendendam, ad Xenodochia, ad pauperes & ægros conservandos.

Quod Æneas exprobraverat Germanis *beneficium Romanum* prædicati Christi, Wimphelingius non negat, sed scite adversus Romanos invertit: *Romanos* æque ac *Germanos à Christo fidem accepisse.* Si ergo Germani pro prædicato Christo teneantur Romanis prædicatoribus gratitudinis nomine aurum pendere; eodem modo & Romanos Petro esse obligatos, natione Judæo, ex Palæstina venienti, qui Romanis Christi fidem prædicaverit, ut eodem gratitudinis nomine pro accepto à Judæis Evangelio aurum & argentum quotannis in Syriam mittere teneantur.

Germanorum fides in Christum,

Exceptioni, *Petrum sedem Romæ, non Hierosolymis habuisse*, it obviam: Antiochiæ prius fuisse illius cathedram. Argumento huic dialectico præmisso subjungit veram *gratitudinis Christo debitæ* rationem ac indolem: *Quæ non tam splendore seculari & externis ceremoniis, quam imitatione morum, castimonia, humilitate, modestia, divitiarum & deliciarum contemptu, liberalitate in pauperes, cœlestium rerum amore, & devota commiseratione in Christi crucem & passionem exhibetur.* His virtutibus, ab Ecclesiæ exordio à primis pastoribus (aurum haud emulgentibus) germaniæ prædicatis, in quibus sit verus Deoque gratissimus cultus, Germanos ingratitudinis vitium effugere, intrepide affirmat. Ex hoc debito, Christo præstando, suscitata Germanis templa, sacella, aras, omnemque Dei cultum reliquum. Eoque fine Sacerdotia à Germanis fundata.

religiositas.

Ignominiam ab Ænea *Germanis* inustam, *quibus ante Baptismum nihil immundius, nihil tetrius, nihil spurcius fuerit*, detergit Noster. Non solos *Germanos*, ante Christi fidem, falsos Deos & obscœna vitia esse sectatos. Dein, notam in *Romanos* meliori specie refundit, de quibus, non Germanis, Satyrici Latini cecine-

cinerint: Imo quod non Germanorum sed Romanorum flagitia immanissima Paulus cap. 1. Rom. taxaverit.

Crimen ab Æneæ priscis Germanis objectum de *filiis Cacadæmoni litatis*, Gallis hoc à *Cicerone*, *in Orat. pro Marco Fonteo*, tribui innuit. Germanos verò, tunc gentiles, abhoc scelere dudum liberatos, beneficium hoc *Adriano Cæsari debere*, non Romanis.

Jactantiam Æneæ, *singularia beneficia à Romanis in Germanos collata*, retundit similibus & forte majoribus beneficiis, per Cæsares, ope Germanorum, in Romanos collatis. Sic merita Caroli Magni, & pro Romanorum salute studia, nec non Ottonum, Sigismundi, Friderici III. commendat, præsertim Maximiliani, qui nisi Romam coleret Julium Pontificem sede sua fuisse pulsum. Inter alia Germanorum publica in Rom. sedem beneficia refert Wimphelingius, *nobilissimam excellentissimamque artem impressoriam*, per Germanorum, Argentinensis cujuspiam & Moguntini sagacissimam ac vigilantissimam industriam inventam. Qua arte omnes optimæ & fidei & morum doctrinæ, diversis etiam lingvis conscriptæ, in universum orbem propagentur. Hâc arte summorum Pontificum mandata, quæ summe necessaria Rom. sedis religionisque negotia continent, uno die à duobus aut tribus, ad dignitatem Apostolicæ sedis conservandam magis magisque multiplicari ac disseminari, quam à librariis ducentis, tota hebdomade scribendo fatigatis.

Germanorũ beneficia in Romanã curiam.

Ars typographica a Germanis inventa.

Exprobrat dein Noster ignominiosum *Barbari* nomen, quod Germanis Itali dederant. Quod nomen non sint promeriti, qui religionem Christianam constanter profiteantur, sanguinem pro ea fusuri, qui mandata Romana accipiant, condonationes suscipiant, Romam petant, æs mittant, Indignum hoc, pro sinceritate Germanorum nomen animose declinat his verbis: *Si juxta Æneam, religio barbariem detersit, & nos religionem colimus & amplectimur, immerito & injuste fœdo barbarorum titulo, ut sclavi & mancipia, à quibus aurum emulgendum sit, contaminamur.*

Germani non sunt barbari.

Artes sic iterum detegit Æneæ, Germaniam urbesque ejus & sacras ædes, munificis laudibus extollentis, *ut præconiis dulcibus illecti ad fidelissimæ Italicæque nationi profuturas admonitiones benignius aures suas accommodarent Germani, & ad profundendam in exteros rem familiarem essent benevolentiores.*

Examinat porro Æneæ sollicitudinem *constitutionem Concilii Basileensis, Sanctionem Pragmaticam*, eludendi ac repudiandi. Monet Noster, *pro illa sanctione ipsum Æneam ad Agrippinos scripsisse.* Quo aculeo oblique redarguit *Æneæ inconstantiam*, qui quam ipse olim probasset, Cardinalis factus repudiasset. Integritatem Constitutionis designat noster, cum à sapientissimis justissimisque Concilii Patribus Spiritus Sancti ductu sit condita. Causam cur Æneas instingere illam Sanctionem laboret, addit: *Ne Germani eidem, sicut cetera Christianissima nationes innixi, constrictis marsupiis ad expendendum aurum sint tardiores.* Callidum consilium Æneæ detegit, qui finem Constitutionis pervertat, & falsum Germanis affingat. Non huc tendere illam constitutionem, ne germanica natio Apostolicæ sedis jussionibus obediat, & ne quid pecuniarum ad Rom. curiam deferre cogatur. Distingvit ergo Wimphelingius inter jussa Pontificis honesta, & pecuniam debitam, & utrorumque excessum. Neminem Episcoporum vel Principum Germanorum honesta Pontificis jussa contemnere, & *debitas pecunias* summo omnium pastori ac patri denegare. Pergere nihilominus Germanos, posita licet sanctione, Romam quotidie, pro reservatis, gratiis & dispensationibus aurum expendere, causas etiam profanas, nedum per appellationes illuc trahi: Condonationes à nulla natione promptius suscipi quàm Germanica. *Quod ante hæc secula*, ait, *præstitere majores nostri, quod legitimum est, quod justum est, quod tolerabile est, id amodo præstitum iri nemo nostrum refragabitur. At plus æquo à nobis emungi Corinthiorum similes nos facit, ad quos arguendos*

Æneas Sylvio inconstans.

Sanctionis pragmaticæ scopus.

electio-

electionis vas insonabat : Sustinetis si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit.

Collectionem Æneæ: Bononienses, Perusinos, Ecclesiæ vicarios, & reliquos populos Ecclesiæ Rom. subjectos, aut nihil aut quantum velint, conferre, *ideo Germanos immoderatius sua elargiri debere*; pernegat Noster, nec ulla lege eos ad hoc cogi posse.

Simili modo & alterum Æneæ argumentum, *Romam innumeros fere ministros, diversis muneribus præfectos, habere*, qui indies multiplicentur, adeoque Germanorum requiri nummos, rejicit Noster; *Quasi illa de causa res familiaris Germanorum sit exhaurienda?*

Germani justitiæ cultores.

Objectionem, *Romam esse commune appellantium refugium*, dissolvit: *Absque necessitate.* Esse & in Germania Metropoles, jurisprudentia & integritate judicum suffultas, ad quas à Germanis Cathedralibus [quæ proximam sedem judicandi habeant] si quis se oppressum putet, per appellationem refugium habere possit. Injustum esse, quemlibet Germanum, vel secularem, proximo suo judice contemto, pro re levissima, ex vindictæ quandoque livore & in propria persona, ad Rom. tribunal trahi. In arduis & gravissimis causis Romam appellari, permittit.

Ita querelam Æneæ, *Rom. curiam laborum pondere esse obrutam*, refellit, illorum damnans culpam: Quod *Cæsari, quod Archi Episcopis & Episcopis Germanis, suam judiciariam potestatem convellant*, adeoque ad se causas *sine causa* rapiant.

Sic confessionem Æneæ agnoscit, *de integritate Germanorum, de judiciis & consiliis illorum salubribus, de rebus prudenter & graviter per Germanos administratis.*

Pragmatica sanctionis Basileensis commendatio.

Constitutionem proinde *Basileensem* tuetur Noster, *quæ nihil contineat, nisi quod Dei gloriam foveat, quod ratio suadeat, quod æquitas postulet, quod natura lex suggerat, quod canones mandant, quod religioni & honesto consentaneum sit.* Summam ejus recenset: Qui Ecclesias erexerint, qui sacerdotia dotaverint, & in illis idoneos instituerint ministros, ad propagandam fidem, bonos mores & exempla virtutum, juxta antiqvum Clementis decretum, qui sacerdotes bonos desideraverit. Hoc ergo *desiderium & Germanorum* sacerdotii boni, commendat, laudatque sanctionem Concilii Basil. *de felici regimine status Ecclesiastici.* Urgeri eo fine à Concilio Bas. sanctos canones, à sanctis Patribus olim conditos. Quamdiu sancti illi majorum de felici Ecclesiæ regimine & bono sacerdotio, canones sint observati, floruisse in Ecclesia Dei honestatem, disciplinam, religionem, pietatem, charitatem & pacem. Ex *ambitione* verò & *avaritia*, quibus patrum decreta contemnantur, *subsecutas esse morum corruptiones atq. deformitates, status Ecclesiastici dehonestationes, usurpationes gravissimas. Præsertim hoc fieri per Prælaturarum & dignitatum aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum reservationes: Per gratiarum ad vacatura beneficia expectativarum, à jure valde exorbitantium, reservationes: Per innumerabiles concessiones, gravissimaque & importabilia onera. Quibus Ecclesia & personæ Ecclesiastica afflictæ, oppressæ, & quasi ad internecionem redactæ illis diebus conspiciantur.* Nam Ecclesiarum & beneficiorum pecunias indignos exterosque occupare: Majores dignitates opulentioraque beneficia personis conferri incognitis & non probatis: Paucos in Ecclesia residere; neque enim, cum sint plurales, ubique residere & præsentias deservire posse, neque vultus commissi sibi gregis agnoscere. Animarum cura neglecta temporalia lucra solummodo quæri: Christi cultum diminui: Hospitalitatem subtrahi: Ecclesiarum jura deperire: Ædificia ruere: Populi devotionem attenuari: Clericos, scientiis & virtutibus effulgentes, qui in ædificationem plebis vacare possent, & qui pro animarum & Ecclesiæ salute publicis consiliis forent opportuni, divinarum humanarumque scientiarum studia deserere, propter spem promotionis ad beneficia eis ablatam: Votum alienæ mortis oriri: Lites infinitas, contentiones, rixas, rancores & odia inter Christi ministros suscitari, nutriri ac foveri: Execrabilem pluralitatis beneficiorum ambitionem augeri: Pauperes clericos cum rerum suarum discrimine per calumnio-

mniosos & cavillosos opprimi: Beneficia per litium anfractus injuste sæpius occupari: Beneficia inofficiata relinqui: Beneficia Simoniace acquiri: juvenibus bonæ indolis, qui literis & virtutibus intendere debebant, evagandi licentiam præberi: Prælatis & clericis ordinariis collatoribus jus suum atque ministerium auferri: ordinem Ecclesiæ Hierarchicum confundi: Plurima adversus divina & humana jura in animarum perniciem & Ecclesiarum oppressionem ac conculcationem perpetrari.

Posthæc damna attingit *Ecclesiarum, ad quas gratiæ Apostolicæ & reservata se extendant*, dum vacant, quod interdum propter diversos litigantes, & varias illorum fraudes ac artes, ad biennium aut triennium certo ac idoneo pastore destituantur. Et si vix tandem aliquis illorum collitigantium victor aliorum in parochia aliqua utcumque evaserit, quod ipse in ea non resideat, vel si resideat, non prædicet, nec suggestum ascendat, nec preces pro Pontifice, Ecclesia, Cæsare, publice fundat. Id in *Ecclesiis parochialibus* non facile contingere, *ad quas gratiæ Apostolicæ & reservationes non spectent*, adeoque ad illas contentiosi per gratias illas non adspirent. Ad has, dum vacant, recte constituendas, statim ab idoneis Ecclesiæ Patronis omnia instrui salubriter, absque lite, absque multa pecuniarum profusione. Dum vel universitates, vel Senatus, vel Ecclesiarum tutores, vel deputati, vel capitula, statim deliberent, & ad Dei honorem animarumque salutem bonos & doctos viros iisdem absque controversia & litibus præficiant, qui ipsi adsint, ipsi prædicent, populum verbo & exemplo ædificent, & suas oves in viam salutis, ut veri pastores, dirigant.

Ecclesiæ Germanicæ quare diu olim Pastoribus destitutæ.

Jure patronatus in Ecclesiis feliciter usi Germani.

Ad *hoc* curandum & promovendum obligatum esse Pontificem summum, nempe, *ut Evangelium Christi omnibus sincere prædicetur*, ut omnes errores propellantur, schismata removeantur, bella sopiantur ut honoretur Deus & ille laudetur. Hoc autem melius cum ipsis summis Pontificibus & efficacius præstituros, non ephebos, non mulorum duces, non citationum insinuatores, sed juris Pontificii *divinarumque literarum peritos*, tum in *concionibus*, tum expiandis per confessionem conscientiis. *Lege* sic fuisse decretum in concilio Basileensi, tertiam præbendarum partem *sacrarum literarum doctis* esse conferendam.

Doctorum ergo & exemplarium Theologiæ Professorum & concionatorum commoda, in Ecclesiam uberrime redundatura, commemorat. Horum doctrina, monitis, consiliis, bono vitæ exemplo, & concionibus, plus in plebe effici, quam acerbitate, pompa, minis, terroribus, armis aut censuris. Optime prospectum Ecclesiis monet, si boni viri, moribus & doctrina probati, illis præsint, quorum Germania scateat, iidemque in Gymnasiis floreant, quorum non pauca post Æneam in Germania sint suscitata. Pontificem recte agere, si talibus viris prospiciat Ecclesiæ & scholis, neque sit populus sicut oves absque Pastore. Utique honestius & sanctius esse, ovibus Christi, in Christiana vita fideliter instituendis, de bonis idoneisque Pastoribus prudenter consulere, quam barbaris & indoctis, pastorum solum nomen habituris, de lana, lacte, cerere & Baccho, auro, argento, in luxu & otio pascendis, ex carnali affectu aut vilis obsequii contemplatione, providere. Sic inventum iri in Germania non turpium fabularum, sed omnis nobilissimæ Philosophiæ & Christianarum literarum jurisque Pontificii apprimè doctos, qui Ecclesias regerent. Horum itaque doctorum & modestorum Pastorum sacerdotumque plures in Ecclesiis constituendos urget. Idque concilii Basileensis lege cautum esse, quæ voluit Evangelium Christi omnibus sincere prædicari. Illam Basileensem legem inter alios magnos patres, à non paucis Cardinalibus, Juliano, Cusano, & Ludovico Arelatensi, fuisse definitam & editam.

Eruditionis fructus in Ecclesiæ doctoribus.

Gregorii M. dicta & exemplum proponit, qui pronunciarit, Retinendum ab Apostolica sede proprium vigorem, & à se concessa aliis jura sua ab eo non esse minuenda. Item: Non plus pecuniæ quam animabus studendum: Quoniam

niam redemptor noster à sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas. Humanius ergo & benignius Rom. Pontificem se gerere debere erga Germanos, ut matrem, non novercam, levioremque & tolerabiliorem illis imponendam sarcinam. Gregorii quidem M. exemplo, qui susceptis à patricio Galliarum quadringentis solidis immortales gratias egerit.

Sumptus pro Archi Episcoporum pallio redimendo moderandos esse.

Obsecrat ergo noster & optat, Mater illa Romana Germaniam hac saltem pietate *largitionumque moderatione* dignetur, ut, Archi Episcopis Germanis & Episcopis intra paucos annos è vita sublatis, mitius & clementius cum successoribus agatur. *Sumptus*, ab illis *pro redimendo pallio pendendos*, plerumque à miserrimis agricolis & civibus, cleroque maxime rurali, corradi, quibus persæpe patresfamilias pro liberis educandis, ipsique sacrificuli pro vita sustentanda opus haberent. Periculum esse, ne seditio tandem vulgi, sæpe de hâc re murmurantis, ut suis Wimphelingius audiverit auribus, in Ecclesiasticos suboriatur, neve Bohemici motus latius serpant.

Immensi olim sumptus pro redimendo pallio Archi Episcopi Moguntinensis Alberti.

Largitiones istas à Leone II. (Platina autore) & Ludovico Galliæ Rege, fuisse interdictas. Memorabilis incidit hic & justa querela de *magno auri pretio, quo pallium Archi Episcopi* (Moguntini) tunc *redimendum* erat. *Durum equidem est*, inquit, *non quadringentorum, quibus Gregorius gratias agens satiabatur, sed viginti aut ea amplius millium aureorum nummum exactione clero & plebi nuper imposita, & ea quidem nondum dissoluta, propter novum Archi Episcopum aliam & æqualem propediem popularibus & Christi ministris impositum iri. Potissime cum veterem pro pallii usu jam pridem præstitam summam, decem duntaxat millium fuisse, memoriæ proditum sit. Quæ quia à prædecessore reddita non est, successor suam decem, & antecessoris æqualem, dissolvi neglectam, tradere cogebatur. Quibus in scrinium seu registrum ad posteritatis memoriam forte consignatis, viginti millia usque ad nostram ætatem ab omnibus Archi Episcopis* (Moguntinis) *exigi dicuntur.*

Cum ergo his & aliis modis Germania debilitetur, monet, *Concordatis Principum*, quibus edendis Æneas in Concilio Bas. adfuerit, Rom. sedes non contraveniat, stygios regressus, nonnunquam falsos & fictos, ut suo sit edoctus exemplo, ordinariis collatoribus intolerabiles, enervet, per amplissima reservata, curialibus etiam molesta, non usque adeo & tam crebro Germaniam gravet, nec innumeras ad unum collatorum gratias in terris Ecclesiæ Rom. non subjectis concedat. Quare *multiplicationem gratiarum expectativarum* multis impugnat: Quam nec Æneas potuerit probare.

Germania excitata ad jura sua Episcopalia defendenda.

Excitat dehinc gravissimis monitis *Germaniam, quæ sua tueatur jura contra sedem Rom.* ne per Ro. curiam *Concordata Principum* cassentur, ne preces Regiæ in mensibus ordinariorum rejiciantur, ne ordinariis collatoribus per reservata aut regressus jus suum auferatur, ne seculares suo patronatus jure priventur, ne audiant mentientes se esse *familiares Pontificis*, eoque prætextu principum, etiam Electorum, filiis præbendas subtrahant, cum Sixtus IV. prohibuerit, *non oriundos ex Germania ad Germaniam habere expectativas.* Sacerdotes morbo aut senio confecti per lites & fraudes ne exuantur beneficiis: ne Canonici plures gratias invadant & Canonicatus: ne quoque Sacerdotes opulentissimi, panem ab ore pauperum resecantes, tota vita pro novis sacerdotiis contendant, ac per fas & nefas invadant. De quibus abusibus conquerentem laudat Philippum, Archi-Episcopum Colonienſem, aliumque Prælatum, quos ipse audiverit Wimphelingius queritantes. Eas interdum fraudes sacerdotum in beneficiis istis cumulandis, litibusque eum in finem movendis, ab eorum obitu detectas, ait, ut si adhuc superstites essent, propter illas malas venandi artes flammis in cinerem essent redigendi & exurendi. Studium dein ardens & pium *Bertoldi* Hennebergensis, Episcopi & Principis *Electoris Moguntini* sapientissimi, commendat, qui illa & majora Germaniæ gravamina sæpe ac multum animo revolverit. Audiens ergo cum solido gaudio Franciscum Senensem ad summa sedis

Bertoldi Electoris Moguntinensis intentio.

dis Apostolicæ fastigia pro meritis tunc evectum, de quo sciret, eum Germanicæ nationi vehementer affectum, mox propria manu pleraque ista gravamina consignare cœperit, quorum vel remedia, vel levamina pro divini cultus Germanicæque nationis incremento, sese ab uno impetraturum confideret. Eamque occasionem fuisse meminit *Wimphelingius* & sui hujus scripti, qui *instituti & voluntatis Archi-Episcopi & Electoris illius conscius*, ad respondendum Æneæ pro Martino sit lacessitus.

Præter hanc amplam scribendi occasionem, causas allegat reliquas: Amorem imperii & nationis Germanicæ, amorem studii sacrarum literarum, cum illi, qui multo studio & labore docti & Ecclesiæ utiles evaserint, sacerdotia difficile consequantur: commiserationem erga pauperes, qui premantur: affectum erga plebem doctoribus doctis & honestis destitutam: *Leonis* denique *X. Pontificis* sanctimoniam, justitiam & flagrantissimum Christianæ religionis zelum. Ex hujus igitur *Bulla de Reformatione Ecclesiæ*, recenset ejus decreta, de juventute in bonis moribus & religione instituenda, diuturno poeticæ studio prohibito, ut hoc ordine disciplina Christiana felicius reparetur: Ejusdemque mandata commendat de non cumulandis reditibus unius Ecclesiastici, in aliorum damnum aut scandalum, ad tenorem Concilii Basileensis. Prudentissimum denique & saluberrimum *Leonis* laudati consilium celebrat, ex Bulla sessionis IX. de piis in Ecclesia moribus reducendis, *luxu & avaritia* sacro decreto *ex statu potissimum celsiore & digniore eliminandis.* Ut ex superiorum reformatorum aut emendatorum conspectu discat emendari vulgus, quem verba minus quam opera movent.

Leonis X pro Reformatione Ecclesiæ bulla.

Subnectitur fini Epistola JOHANNIS GVIDÆ ad Hier. Vehum, Christophori Marchionis Badensis Consiliarium, quâ significat se ad nutum *Wimphelingii* huic operi adjecisse peregrinationes binas *Jacobi*, *Marchionis Badensis*, *Christophori* primigeniti, quas Romam instituerit A. 1489. & 90. ad *Innocentium Papam VIII.* Descripsit illam *Marchionis Jacobi*, Romam bis petentis, historiam, resque ibi gestas, *Joannes Muller de Rastetten*, *I. V. D. & Ecclesiæ Badensis Decanus*, qui cum *Adamo Frei*, *Ecclesiæ Badensis Cantore*, Marchionem Romæ agentem gubernarat. Sunt relatæ omnes Epistolæ, à Rege & Imperatore Romanorum Archi-Episcopis plurimis aliisque Principibus datæ pro *Johanne Badensi* ad *Pontificem & Cardinales*, quibus eum commendarent, & *pro Ecclesiasticis Beneficiis* in eum studiis sacris deditum conferendis intercederent. Videtur autem tota illa historia consulto addita editis *Germaniæ Gravaminibus* & à Wimphelingio vindicatis, ut oblique vel illustri illo exemplo constaret, Romanos Germanis Principibus verba quidem dare solitos, sed beneficiis desideratis parcius beare constituisse. Id enim ex historia ista abunde constat, literas & preces Imperatoris & Electorum atque Principum Germaniæ frequentissimas intensissimasque tantum efficere non potuisse apud Papam & Cardinales, ut voti fieret compos Marchio, sacris studiis & literis tunc addictus.

Carmina doctorum virorum operi sunt adjecta votorum *de reformatione Ecclesiæ* plena. Commendatur illis *LEO X. Papa*, qui *Ecclesiam reformare* & virtutes ac bona studia plantare constituerit. NICOLAI GERBELLII carmen hoc est.

Reformatio Ecclesiæ à Leone X. expectata.

Quid, precor, in magno regnat præstantius orbe:
  Quid majus cœlum credis habere Deo?
Terra nihil melius, nihil æquora, cuncta videmus
  Arbitrio autoris cedere regna sui.
Sed tamen imperii majestatisque supremæ
  Partes Pontifici præbuit ipse suo.
Qui cupit antiquam totum renovare per orbem
  Virtutem, & paci reddere cuncta novæ.

Ingenuis priſcum ſtudiis reparare nitorem
Deſertis, vires vult adhibere ſuas.
Omnia reſtituet (dexter Deus adſit) ad unguem:
Hoc duce florebunt quæ latuere prius.

OTTOMARI NACHTGAL *Argentini*, de Zelo *Leonis X. Papæ*, deque frugalitate, ad Eccleſiaſticos paræneſis hæc eſt.

Nudus cum tua ſit ſors Chriſtus, presbyter, auri
Cur tua tam torquet viſcera ſacra fames?
Quam facile aëreæ pergunt ſine mole volucres,
Tam vives, tenuis ſi tibi victus erit.
Sæpe rates ventus grandis male quaſſat onuſtas,
Sed levis in portum cymba repente volat.
Quid refert, Simon, niteat tibi multa ſupellex?
Candidus at ſit amor, ſpesque fidesque Dei.
Sufficit exiguus virtuti cenſus. Inerti
Si tumeas faſtu, quid ſatis eſſe poteſt?
Non mihi multorum cedant ſtipendia ſoli,
Ne fratri rapiens ſcandala ſæva feram.
Nec fas ad luxum ſinit ut res ſuppetat ulli,
Pontificisque recens ſanctio ſacra vetat.

Spes de reformanda Eccleſia per Leonē X.

Hic *decimus* Domini caulas *Leo* protinus implet,
Dum paſſim ſentes deſecuiſſe cupit.
Sauciat æthereos animos ſcelerata cupido,
Ne ſe vincta tricis tollere poſſit humo.
Exemplo es, dives, opibus damnate cruentis,
Lazari erat dum mens libera juncta Deo.
Wimphlingi haud aliter præſens docuit liber, ætas
Subdita cui quondam noſtra tenella fuit.

Munitum quoque hoc opus *privilegio Maximiliani Imperatoris* Iuculento, dato *Auguſtæ*, 14. *April. A.* 1515. Cui ad mandatum Imperatoris ſubſcripſit *Jacobus Spiegel.*

Denique Epigrammata JOH. GUIDÆ in Æneæ callide impugnatam Germaniam, ob hiſtoriam forte non prætermittenda.

Germanos vario deſcribens ordine ritus
Sylvius Æneas, res, loca, templa, vias,
Toxica commiſcet ſcriptis: Tibi Roma favendo
Mellitis noſtras & nimis ardet opes.

Item.

Lector adeſto ſagax: Latet en ſub melle venenum.
Laudamur, noſtras ut tribuamus opes.
Sanctio Concilii damnatur Baſileenſis,
Quam juri nixam Francia docta colit.

Sed nec præteriiſſe fas eſt *hiſtoriam duorum Falſariorum*, qui Romæ ſub Innocentio VIII. ſunt combuſti, quam laudatus *Joh. Muller de Raſtetten*, Marchionis Badenſis in itinere Romano dux & conſiliorum autor, conſignavit. Ideo verò operi huic Wimphelingiano ſubnexa videtur, ut ex his etiam exemplis cognoſceretur, quæ fraudes etiam in curia Rom. deprehendantur. Falſarii fuerunt *Franciſcus de Forlivio* Presbyter, Canonicus, cauſarumque in urbe ſollicitator, & *Dominicus de Viterbio*, Clericus, primam nactus tonſuram, conjugatus, & Apoſtolicarum literarum ſcriptor. Hi per aquam arte confectam, literas ex bullis Apoſtolicis legitime ſcriptis, & ſigillo ſignaturisque roboratis, vel in toto vel ex parte aboleverant. Illis ergo deletis, alias adulterinas literas, fictas, inſcripſerunt. Materia ſubſtitutarum literarum fuit: Ut per eas clericis in ſacris conſtitutis indultum conſtaret, qui uxores ducere poſſent: De eſu carnium diebus

Franciſco de Forlivio, Dominicus de Viterbio, Falſarii literarū Apoſtolicarum.

diebus ab Ecclesia prohibitis: De unione, separatione, incorporationeque Ecclesiarum: De pluralitate beneficiorum aliisque multis & diversis casibus, de quibus dispensaretur. Post inquisitionem & confessionem A. C. 1489. 4. Cal. Nov. ante scalas vel gradus D. Petri in suggestu ligneo, ab uno Episcopo, jussu Pontificis, degradati, manibus secularis magistratus traditi, vehiculo impositi, appensis literis falsificatis, ut ajunt, in Campum Floræ vecti, igne sunt cremati. *Dominicus de Viterbio* multis pro redimenda vita carminibus editis & intercedentium precibus supplicium, sed frustra, declinare studuerat. In his triste carmen ad Pontificem hoc legitur:

Roma combusti.

Lacrymæ Dominici de Viterbio.

Fune diu miserum torsere & verbere corpus.
Nec nisi quam fassus pœna reperta mihi.
Sed nihil hoc potuit committi crimine majus:
Sola tua est pietas major & imperium.
Pulchra furem faciunt, vulgi dicteria cantant,
Furem, hoc deprehensus succubui auspicio.
Numina sancta Deûm testor: Mihi crimine ab illo
Mens recta, & vitæ mos sine labe fuit.
Peccavi, hoc hominum est: Misereri & parcere, divûm.
Jura regis, divûm. Crimina tolle hominûm.
Vade, nec ulterius pecces, Hæc summa Tonantis
Pœna fuit, si quem pœnituit scelerum.
Regna Dei clavesque tenes, moremque modumque,
Debitaque imperii jura tuere tui.
Peccavi, miserere, procul sit sanguinis ira:
Vivere vult & nos pœnituisse Deus.
Parce: Dei proprium misereri & parcere: Parce!
Illius in terris jura vicemque geris.

Aliud ejusdem ad Pontificem.

Heu pietas, heu summa tuæ clementia dextræ
Adsit, & erroris commiserere mei.
Sit ratio ætatis teneræ, tenerisque sub annis
Vix expectatum cerne magisterium.
En res tanta fuit, magnos quoque noscere Reges:
Qui caderent ultro, si licuisset, erant.
En te, si qua meæ est anteactæ gloria vitæ,
Te moveat nullus criminis ante robur.
En pietas, en te gemini, mea funera, flentes
Nati, Te lacrymans flectat uterque parens.
Te fratres, omnisque domus tibi dedita supplex,
Te moveat, pro me Maxima Roma rogans.

Dominicus de Viterbio
Speculum fortunæ.

CLausit *Wimphelingius* hoc suum opusculum submissa contestatione, quam ipse *sinceram* appellat *additiunculam ad Replicas pro Martino Majore contra Æneam Sylvium. Qui Æneam*, inquit, *sedulo relegerit, suorumque verborum pondus accurate introspexerit, mea responsa graviter non feret. Imo Æneas, si ad nos redire, ætatisq; nostræ mores cernere posset, nobis indubie adstipularetur: Primùm pro eximio suo in Germaniam amore, quam veluti patriam suam duxit, deinde pro*

Calami Wimphelingiani excusatio.

zelo in Christianam religionem, pro qua vel senio gravis bellum in Turcas movere tentarat, postremo pro sua laudabili frugalitate, qua ad cardinem orbis terarrum exaltatus, reservatumque suum excusans, paucis se contentum esse posse Martino rescripsit, & jam dudum à sacrosancto Concilio Basileensi (Cui & Abbas Siculus Ludovicus Pontanus, Johannes Lucas, cujusdam Patroni mei Præceptor, interfuerunt) in auxilium Hildeboldi Senioris, indigne vexati, huc (Argentiam) orator missus, urbe perspecta ejusque collegii, divi se Thomæ Præpositum, majora non desideraturus, exoptare, cuidam dixit in ponte Bruscensi sibi adstanti Westvalo, ex quo Johannes Simler & Breidenbachius sese audivisse mihi aliisq; persæpe retulerunt. Accedit huc, quod, cum voto meo de inhabitanda ad mortem eremo frustratus essem, vitam in patrio solo finiturus, statim loci ex cleri secularis paucitate pertæsus sum. Nam etsi in pueritia & adolescentia mea plures illic honesti sacerdotes in baptismatis sacræque communionis templo Deum coluissent, hoc tamen tempore, quo grandævus patriam reviso, præter Curatum, suosque mysteriorum dispensatores unum duntaxat Sacellanum gemens offendi. Licet enim Ecclesia plures habuerit Capellanias à secularibus fundatas, illæ tamen interim (qua sorte nescio) ab opulentis & majora sacerdotia tenentibus obtentæ sunt. Qui dum in opimis alibi beneficiis, aut apud Tyberim pinguiora venaturi moram habuere, exiguis, quos in absentia perceperunt, proventibus contenti, sacerdotia patriæ, quæ singula frugalem sacerdotem sustentare poterant, ad inopiam vergere neglexerunt. Sicque beneficia patriæ diminuta, cultus Dei labefactatus, & parochia clero seculari destituta est. In patria inquam mea & quidem populosa, inque præclaro sacri Ro. Imperii vico, apud quem Carolus Magnus natalis Dominici diem (Reginone teste) cum Principibus gloriosissime quondam celebravit, A. 775. Cujus calamitatis gratia ex eremo in patriam accersitus cum honesto senatu, aliisque zelo Dei flagrantibus ad id nitimur, ut duæ aut tres sacellaniæ, ignaviter ad miseriam redactæ, in unam, alimenta residenti & cum Ecclesiæ Rectore deum honoranti suppeditaturam, sacrosanctæ sedis Ap. favore & auctoritate conflari & conjungi possint. Cujus rei Guilhelmus Antistes noster pientissimus, dignissimiq; Prælati & Capitulum ejus fundamenta jecerunt. Quo minus vereor, me bonis ac Christianis viris bilem concitaturum, quando certo scient, me non animi morbo nova moliri, sed justo divini cultus patriæque amore, Martini Majoris querimonias pro Germania dudum ab eo factas, cum exaggeratione confirmasse. Ut enim de Deo terribili, Eccles. 43. qui major est omni laude, taceam, non tamen minus æqvum, minusque decorum mihi visum est, Germanum suæ, quam Italum Italicæ nationi & patriæ fuisse affectum. Quod autem Æneas haud ad gloriam nostratium Episcoporum hæc verba suo tractatui inseruit: Quod si unum Romanus Pontifex minus dignum presbyterio donaverit, supra mille invenias rudes, ignaros, hebetes, & prorsus ineptos ab ordinariis esse promotos, id ad honorem & excusationem Antistitum Germaniæ nuper in Diatriba c. XV. confutavi.

Æneas Sylvii commendatio.

Ecclesiarum tristis facies tempore Wimphelingii.

CAPUT

CAPUT XX.

Brevis series fatorum Reformationis Gersonianæ in Germania.

EX his Ecclesiæ rebus, à temporibus Gersonis integro seculo in Germania gestis, breviter recensitis, constare potest, quæ fuerint fata *Emendationis Gersonianæ*, in *Germanos & in Imperatorem Romanorum olim devolutæ*. Quam brevem *fatorum delineationem* Commentarioli numero in illud *Gersonis* opus arduum *De reformatione Ecclesiæ in Concilio universali*, subnectere libuit.

Quæsita fuit à Gersono, cum Gallis, totoque orbe Christiano, *reformatio Ecclesiæ in capite & in membris*, sive regiminis Ecclesiastici, & vitæ cleri. Cap. I. In *Constantiensi Concilio* utrumque spectatum, sed parum effectum. cap. 2.3. Quare in *Provincialibus Germaniæ Synodis*, Cleri reformatio publice per ArchiEpiscopos tentata, ast parvo cum fructu. c. 4.5.6.7. Quandoquidem ergo *regiminis Ecclesiastici supremi* in Ro. curia *emendatio* præcedere debebat, sine qua cleri particularis emendatio vel difficilis vel frustranea: Hinc de *Capitis* primùm, seu *Ro. curiæ* emendatione agi cœptum in Concilio Senensi, ac Basileensi. Sed rursus irrito eventu. cap. 8.9.

Reformatio Ecclesiæ universalis frustra in Germania totius quæsita.

Donec seorsim *Imperator* & *Principes Germaniæ* in *Comitiis* suis *de Ecclesiæ Germanicæ juribus* revocandis dispicerent, variaq; media *Reformationis illius Ecclesiasticæ* adhibenda quærerent. Cap. 10.11. seqq.

Sic ergo dum *capitis* cura tanto molimine quæsita, *membrorum* emendatio unà cum capitis medela evanuit. Meræ querelæ. Ut plerumque contingit. Ultra *Maximiliani* tempora progredi non constituimus, quod propiora solùm fata *desiderii Gersoniani* essent delineanda. In Gallia quæ *Reformationis illius* fuerint fata præteriimus, à *Petro Pithæo* consignata nec non *Richerio*, aliisque. Nos quid in Germania secutum, attigimus.

HERMANNUS von der Hardt.

Lectori S.

GErsoniana *consilia, de communi Reformatione Ecclesiæ per Germanos*, modisque ac limitibus observandis, quid *in Germania* effecerint, ex brevi illa *fatorum* recensione haud obscure patet. Ni *Gerson* fuisset, verosimile est, nunquam hoc *in Germania*, tum in Concilio Constantiensi tum Basileensi, ut & variis Comitiis Imperialibus, fuisse tentaturos Principes. Gerson viam ostendit, calcaria addidit, alios in sententiam pertraxit. Hujus CANONES, ab Imperatore Sigismundo ac Principibus Germanis, *de Reformandi modo*, semel admissi, profundos in pectoribus Principum egerunt radices, ut nunquam non superioribus vestigiis insisterent, & ad eandem metam collimarent.

Gersoniana de Reformatione consilia tenaciter in Germanorum Principum pectoribus hæserunt.

Curatius si quis *consilia Gersoniana*, superiori libro comprehensa,

ſa, conferat cum *Actis* ipſis *Concilii Conſt.* deprehendet vix unum momentum, à Gerſono deſignatum, fuiſſe in Concilii negotiis tractandis prætermiſſum.

Marſilius quidem *Patavinus*, integro prope ante Gerſonem ſeculo, A. 1324. in ſuo *Defenſore pacis*, (edito primùm A. 1522.) nonnulla attigiſſe videbitur Gerſonianis ſimilia, quando contra Johannem XXII. autoritatem Imperatoris Ludovici Bavari ſtrenue defendere ſategit, uti Gerſon contra Johannem XXIII pro Imperatore certavit: Alius tamen utrique fuit ſcribendi ſcopus ac modus, alia occaſio. Ut *Gerſon* omnino *primus* ſit dicendus, qui pro' ſui temporis ſtatu, in illis Eccleſiæ negotiis, ea de Reformandis Eccleſiæ juribus dederit conſilia, quæ non ab *Imperatore ſolum Romano* audita, ſed & à *toto Concilio Oecumenico* Conſtantienſi probata, exercita, atque apud poſteros quæ perpetua praxi ſerventur digna judicata.

Ceterum in hac *Fatorum* recenſione, ea duntaxat hic referre libuit, quæ *publice* in Imperio per *Imperatorem* ac *Principes* in iſthoc *Eccleſiaſticæ reformationis negotio* tractata. Alia, quæ à Magiſtratibus oppidanis, à Monachorum ordinumque religioſorum Generalibus, Abbatibus minoribusque Antiſtitibus tentata, alii loco ſervavimus, tanquam à *præſenti* ſcopo remotiora. Quippe quod *Gerſon* non niſi regulam *communis Eccleſiaſticæ Reformationis per Imperatorem ac Germaniæ Principes procurandæ* ſuperiori libro expreſſerit.

Hujus igitur *Gerſoniani conſilii fata* in *publicis* ſolùm *Imperii conſiliis* & *Comitiis* atque *Synodis* erant demonſtranda.

Ottonis de Ziegenheim Trevirenſis Archi-Epiſcopi ac *Electoris*, publicum Reformandi inſtitutum *cap. VI. fol.* 163. ad annnum 1423. cum autoribus aliis, monente ipſo *Labbæo Concil. Tom. XII. f.* 359. retulimus, atque ex illius ætatis ſcriptoribus fide dignis illuſtravimus. Haud veriti *Petri Cratepolii Minoritæ* in *Annalibus Archi-Epiſcoporum Coloniensium ac Trevirenſium* ſcrupulum, qui p. 97. ita ſcribit: *Otto Comes à Zegeheim ad clavum Trevirenſis cathedræ ponitur, qui fuit vir bonæ vitæ & ſummæ in Deum devotionis. Viros literatos in ſummo ſemper habuit pretio & hæreticos perditisſimum hominum genus, odio proſecutus eſt. In amicos placidus, in hoſtes ſeverus, in pauperes liberalis fuit. Erant ejus temporibus Clericorum mores, non qualis eorum exigit profeſſio. Quos cum hic corrigere & reformare vellet, eorum morſus ſenſit. Verùm ipſe permanens in innocentia ac ſtudio reformandi corruptos mores, cum parum promoveret tandem ſolvi à corpore & eſſe cum Chriſto ex animo petiit. Valedixit igitur mortalium converſationi devotus Otto, Anno Chriſti* 1420. *cum duobus annis præfuiſſet.* In hoc Ottonis vitæ termino definiendo lapſum eſſe Cratepoum, vel ex eo manifeſtum, quod Comitiis Moguntinenſibus Anno 1427. bellisque Huſſiticis interfuerit. Teſtis illius, quod Comitiis Moguntinenſibus A. 1427. interfuerit, eſt ipſe Conradus Archi-Epiſcopus Moguntinenſis apud *Goldaſtum*, *Conſt. Imp. Tom. I. f.* 154. Teſtem hujus, Belli Huſſitici A. 1427. geſti, inter alios habemus *Andream, Presbyterum Ratisbonenſem*, qui illo tempore vixit, in *Chronico*

nico Bavariæ, in Opere Historico Kulpisii, fol. 45. Ad Annum 1427. De tertia expeditione contra Bohemos. *Eodem anno Comites, Barones, milites & militares viri Ducatus Franconiæ de voluntate & assensu quorundam Principum, Heraldos in universum miserunt, proclamantes & invitantes Catholicos pugiles ad tabulam militaris honoris, scilicet ut militaria exercitia ludos & solatia, quæ hactenus in torneamentis & hastiluditis agere consueverant, in impugnationem hæresium convertere conarentur. Hortutur ad hoc salubre propositum perficiendum Martinus Papa quoscunque fideles. Electores itaque Rom. Imperii legas optimas de voluntate Sigismundi Romanorum Regis in scriptis faciunt pro expeditione forti & valida in Bohemiam fienda. Fiunt igitur hujus expeditionis summi Capitanei OTTO ARCHIEPISCOPUS TREVERENSIS & Fridericus Marchio Brandeburgensis, quibus ingressis Bohemiam Nasa oppidum obsidetur. Ex insperato verò eodem oppido non obtento exercitus versus Dachoviam progreditur. Ubi in campo ab Heinrico, tit. S. Eusebii presbytero Cardinali Angliæ vulgariter nuncupato, Apostolicæ sedis legato, die lunæ 4. mensis Augusti vexillum imaginis Christi crucifixi ad pugnandum contra ejusdem crucis Christi hostes erigitur. Sed proh dolor fuga facta in populo Dei, ita ut illud Esaiæ Prophetæ, cuncti Principes tui fugerunt, impletum videretur.* Defunctum esse hunc Ottonem Trevirensem circa A. 1430. cum aliis & *Andreas* laudatus his notavit verbis *l.c.f.* 47. ad Annum 1429. *Otto Trevirensis Archi-Episcopus moritur. Post quem alius eligitur, qui à Papa non admittitur, sed ab eodem scil. Martino V. Rabano Episcopo Spirensi de Trevirensi Ecclesia providetur. Et hinc multa mala evenerunt.* De quibus *Niderus.*

Dabimus hoc tanto facilius *Cratepolio*, quanto certius sumus conscii, in tanta rerum farragine memoriam facile scriptorem fallere. Goldastus, inexhaustæ diligentiæ vir, *Const. Imper. Tom. I. f.* 155. *& seqq.* memoriæ lubricitate seductus, pari exemplo cespitavit, quando ad Annum 1427. *Avisamenta Moguntina* reduxit, quæ ad Annum 1440. ad *Moguntinensia* alia *Comitia* spectant. Certe Capite I. fit expressa mentio duorum Paparum in Ecclesia contendentium, qui erant *Eugenius & Felix.* Quorum ille in Basileensi concilio remotus, & hic ibidem electus erat. De hac dissensione componenda Moguntiæ in Comitiis A. 1440. actum, ut & de Gravaminibus Nationis Germanicæ tollendis. Conf. sup. *cap. X. f.* 172. Similiter expressa in *Avisamentis* illis *Mog.* fit mentio Concilii Basileensis, dudum aut multis jam annis celebrati, & in illo nondum definitum esse novum Concilium, finito Basileensi celebrandum, monetur. *Germanica* horum *monitorum Moguntinensium versio* à Goldasto l.c. f. 160. latinis subjuncta, vim plane intulit permultis constitutionibus dummodo ad annum immaturum quadrare possent. Ita cum Cap. XI. in latinis dicatur *provisio Papæ facta olim in Concilio Basileensi*, in Germanicis redditum: Die Provision ihm vor der Zeit im Constantzer Concilio versprochen. Ita in ipso titulo multis modis à via declinatum, quando scribitur: Bedencken auff dem ReichsTag zu Mentz/ vor Anfang des Concilii zu Basel/ von den Ständen deliberiret/ und Ihr Majestät Käiser Sigismunden zu exequiren übergeben. Quod plane aliter se habet. Quoniam per integrum ferme decennium Basileense Concilium jam erat celebratum, cum A. 1440. Moguntiæ hæc proponerentur, & *Sigismundus* aliquot jam annis obierat, imo & *Albertus* Imperator similiter decesserat, ac *Fridericus* tunc Imperium tenebat. Quam mutationem ac trajectionem

Goldastus emendatus.

nem lapsu recensentium ac vertentium contigisse, putem, non occulta fraude ejus, qui Goldasto hæc suppeditavit, ut illius seculi fata fierent obscuriora aut intricatiora. Quocunque demum hoc factum modo, Goldastus facile excusabitur. Et hi nostri quoque erunt patroni, ne quis & nobis vertat vitio, quod priora Comitia Moguntinensia ac reformationem in illis descriptam A.1423. *Johanni* Archi-Episcopo tribuerimus, cum alii *Conrado* successori dent, qui A. 1427. alia Comitia Moguntinensia celebravit. Cui lubet, & qui certus est, Johannem A. 1419. defunctum, Conradum substituat licet.

Synopsis Constitutionum Concilii Provincialis Moguntinensis A.1423. ex MSCto Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis.

Ipsa verò illius *Synodi Moguntinensis Provincialis decreta*, emendationem Ecclesiæ concernentia, cum *Labbæus* se vidisse neget, cui nihil de illis constet, præterquam quod *Serarius lib. V. rerum Moguntiacarum* paucis eorum faciat mentionem, ex *CODICE MSCto ANTIQUISSIMO* AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS hic exhibuissemus, nisi prolixitas operis nos deterruisset. Absque nomine Præsidis istius Synodi, hæc decretorum est inscriptio: *Acta & Conclusa in Concilio Provinciali Moguntinensi, Anno Domini* M CCCC XXIII. XVIII. *die mensis Martii inchoata, & conclusa* XXIV. *die ejusdem mensis.* Ante omnia ex decreto Concilii Constantiensis, Wiclefi Hussi & Hieronymi Pragensis sectatoribus frenum injicitur, libriq; eorum igni destinantur. Injunguntur posthæc devotæ preces quotidianæ pro Ecclesiæ conservatione. Clericis dein habitus decens injungitur, quem temere non abjiciant aut mutent, ab omni fastu alienus, & ostentationis expers. Mores quoque externi clericorum reformandi statuuntur, ut honeste vivere universi studeant. Ordinibus etiam suus cultus servandus decernitur. Interdicuntur clericis arma, nisi forte pro defendenda Ecclesia prehendantur: In quo casu leges armorum adduntur. Canonicis & clericis sacris occupatis interdictæ confabulationes, aut colloquia à sacris aliena, sub pœna beneficii subtrahendi. Iisdem severe interdicitur, in templis tempore sacrorum cum laicis vel clericis deambulare, sub pœna beneficii amittendi. Constitutio Caroli IV. de libertate Ecclesiarum, confirmata per Martinum V. in Concilio Constantiensi, repetita & roborata. Personis sacris, qui jurisdictionem civilem non habeant, præcipitur, ut à bellis abstineant aut invasionibus. Iisdemque hastiludia ac torneamenta denegantur, cum publico taxillorum similique lusu.

Subjunguntur his in laudato *CODICE MSCto VINDOBONENSI*, sub nomine *Conradi Archi Episcopi Moguntinensis* in Synodo ejus Provinciali facta decreta, anno nullo expresso. Quæ si cum superioribus forte non cohæreant, ad Anni 1427. Comitia nova Moguntinensia referenda videntur.

In his primùm damnatur *clericorum concubinatus*, is tamen notorius aut publicus, pœna beneficii subtrahendi statuta. *Ad ordines sacros neminem adsciscendum, nisi* diligenter prius *examinatum*, sufficienti *doctrina imbutum*, legitimæ ætatis, & probæ conversationis ac *morum integrorum*, testibus viris probis ac doctis. Episcopo nefas esse

esse debere pro officio conferendo ipsaque ordinatione *ab ordinandis munera exigere* aut exigi permittere, sub pœna suspensionis ab illo officio, aliis Simoniacorum mulctis salvis. Pro Sigillo verò pauculum honorarium indultum. Vicariis Episcoporum, ne illis artibus opus habeant, aliunde providendum statuitur. Præterea nullus ad *parochialem Ecclesiam promovendus* dicitur, nisi fuerit legitimæ ætatis & *latine* ad minimum *legere & loqui* sciat, secus facientes ab electione & institutione beneficiorum per annum ipso facto esse suspensos, electionem verò factam ipso jure esse nullam. Capitulis, conventibus, Collegiis, certisque personis, graviter injungitur, *ne, si officia vacent prælatorum, bona Ecclesiæ vacantia inter se* interea *distribuant* ac dissipent, sed in usum Ecclesiarum adhibeant. Si factum, intra mensem successori cuncta restituant, sub pœna excommunicationis. Excitantur posthæc omnes ad frequentem confluxum in novo proximo Concilio provinciali. Indeque *necessitas Conciliorum Provincialium frequentium* detegitur, indiciturque in sequentem annum Synodus talis nova. Præcipitur etiam Suffraganeis ArchiEpiscopi omnibus, frequentia insingulis ditionibus instituere concilia, ut certi *viri prudentes*, idonei & honesti, constituantur, qui *per totum annum* simpliciter ac de plano absque ulla jurisdictione *investigent, quæ correctione vel reformatione sint digna*, eaque ArchiEpiscopo vel Episcopis, aliisque Ecclesiæ Præsidibus referant, in proxima Synodo emendanda. *Ecclesiastici* deniq; ne falcem in alienam messem mittentes ansam dent dissidiis atque pugnis, *causas ad ipsorum forum* aut jurisdictionem *non spectantes linquere jubentur.*

Memorabile hoc opus
De Modo reformandi Ecclesiam
in Concilio universali
scriptum
proxime ante Concilium Const.
à
GERSONO CANCELLARIO
Anno M. CCCC. X.
Vacante Imperio.
Editum
ex antiquo & nobili MSCto
Helmstadii in Acad. Julia A. M DC. XCVI.
mense Augusto.
Imperante
Cæsare Augustissimo
LEOPOLDO
SPLENDORIS ET JURIUM
IMPERII ROMANO-GERMANICI
VINDICE INVICTISSIMO.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf